MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81555-5

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

ILBERG, JOHANNES

TITLE:

STUDIA PSEUDIPOCRATEA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1883

Master Negative #

93-81555-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88H63
DZ8
v 1

Ilberg, Johannes, 1860-1930.

Stvdia Psevdippocratea, dissertatio ... qvam ... scripsit Ioannes Ilberg. Lipsiae, typis B. G. Teubneri, 1883.

63 p. 22 cm.

Thesis, Leipzig,

Volume of pamphlets

156507

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 7 8 93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88H63
no. 2 DZ6

STVDIA PSEVDIPPOCRATEA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOANNES ILBERG

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXXIII

PATRI · DILECTISSIMO

REDIVIVO

ET

OTTONI · RIBBECKIO

PRAECEPTORIBVS · PRAECLARISSIMIS

NATALICIVM

Πολλὰ καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ,
καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τ' ἐὼν
καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέῃ.

Hippocr. de uetere Medic.

Paucos fuisse inter Germanicos huius saeculi philologos, in librorum medicinalium collectionem Hippocratis nomine insignitam qui data opera inquirerent, minime miror. ex quo enim Wolfii Hermanni Boeckhii exemplis uenerandis noua ratione antiquorum temporum genius — ut Heynii uerbo utar — in uitam coeptus est reuocari, tantae amplitudinis patebat terra peruestiganda atque excolenda, quantam sollertium colonorum domiciliis conspergi nondum potuisse ubique manifestum est. atque principes quidem artis nostrae antistites amoenos poetarum lucos recessusque dulces praecipuo coluisse amore, laboris taedium ubi tollerent suauissima loci uenustate, quis non probauerit? sciebant uidelicet aeternos illic, quos negligere nefas esset, scaturire fontes, sentiebant eorum a Musis ipsis sibi demandatam esse custodiam. neque ea qua digni sunt laude defraudantur, in oratorum historicorumque campis uirentibus qui sedes posuerunt aut grammaticorum qui dumeta perrumpunt neque qui excelsa philosophiae ascendunt culmina specusue sinuosos perscrutantur. minor eorum numerus, qui loca colenda sibi sumpserunt ceteris scientiae humanae disciplinis confinia. nec tamen theologorum ordo uenerabilis neque ICtorum illustris habent, cur debitam operam denegatam esse sibi nobis obiciant, nec mathematicorum ei, qui quidem usque ad terminum nostrum progrediantur, derelicta inueniant arua lappisque tribolisque deformia, sed aratorum strenuorum labore assiduo uersa atque consita. medici suo iure querantur. nil dico de Galeno, cuius uasta opera quam neglecta iaceant notissimum est, sed ne Hippocratea quidem scripta satis adhuc uersata perquisitaque.

Praeterierunt nimirum tempora Cornariorum[1]) Foësiorum Hallerorum, quibus ea erat litterarum condicio, uti studia philologica et medicinalia polyhistorum ingeniis haud raro coniungerentur. iam

1) Cf. si lubet Ioecheri lexicon, de Iano Cornario ubi referuntur haec (I p. 2101): 'Weil er die arabischen und barbarischen Aertzte in Deutschland abzuschaffen, die griechischen aber emporzubringen suchte, so übersetzte er dieserwegen die gesammten Wercke des Hippocratis, Dioscoridis, Aëtii, Aeginetä, viele Bücher des Galeni, Synesii opera, die Geoponica, Constantinum Caesarem de agricultura, Macrum de Materia Medica'.

Gallia nobis petenda est, ubi Augusti Comtei magistri doctrinae addictus e philosophiae positiuae quae nuncupatur 'editis templis serenis' ad Hippocratis studium, empiricorum nobilissimi, ante hos quinquaginta annos deductus est Aemilius Littreus[1]), medicus philologus philosophus paucis aequiperandus. qui primus post *Anutium Foësium* Mediomatricum, cuius editio laudabilis Francofurti prodiit anno 1595, ne diutius illustrissimi medicinae conditoris scripta temporum incuria foedata iacerent, indefessa opera effecit. meruit enim rebus tribus de collectione Hippocratica, cuius studio per annos septem et uiginti incumbebat, Francogallus clarissimus: subtiliter et ingeniose de historia eius quaesiuit, criticum quem dicunt apparatum e codicibus mss. Parisiensibus atque aliis quibusdam collegit amplissimum, medicam interpretationem, qua pollebat doctrina atque experientia, promouit; qua re in fine operis admirandi decem uolumina complectentis 'minime Hippocratem talem qualem susceperit relinquere sese'[2]) suo iure gloriatur.

Sed ne uiri summi quidem labore diuturno opus perdifficile omnibus numeris absolui potuit. quapropter et Carolus Darembergius, Littrei discipulus, et Franciscus Zacharias Ermerinsius, in academia Groningensi medicinae professor, fundamento Littreano sua superstruere animum induxerunt. atque Darembergius quidem, cuius studia medico-philologica Oribasii potissimum Celsique editionibus in uirorum doctorum notitiam uenerunt, postquam operum nonnullorum medici Coi selectorum nitidam confecit uersionem Gallicam, praefatione notisque instructam[3]) et plus quam decem annos Europae bibliothecas perquisiuit[4]) et de editione Littreana

1) Littreus in edit. t. IV p. 670, ῥητορικώτερον, ut Galli solent: 'Les travaux médicaux d'Hippocrate ont pour caractère essentiel d'être fondés sur une étude ferme et bien faite de la *réalité*. Ils sont plus ou moins avancés, mais ils sont toujours *positifs*; ils ne s'égarent pas dans les vaines hypothèses, ils ne s'engagent pas dans les recherches impossibles, ils ne poursuivent pas les chimères de la science'. quibus cum uerbis conferre iuuat quae scribit Comteus in: 'Cours de philosophie positive' I p. 5: 'en ajoutant le mot '*positive*', j'annonce que je considère cette matière spéciale de philosophie qui consiste à envisager les théories, dans quelque ordre d'idées que ce soit, *comme ayant pour objet la coordination des faits observés*'.

2) X p. LIII: 'Je ne laisse point Hippocrate tel que je l'ai trouvé'.

3) Oeuvres choisies d'Hippocrate. Paris 1843[1]. 1855[2].

4) Cf. Archives des missions scientifiques et littéraires, passim; Daremberg, Notices et extraits des manuscrits médicaux des principales bibliothèques de l'Europe I. Paris 1853; cf. edit. Littr. IX p. 5, 130, 203, 224, 430; X p. LIX.

acute iudicauit in ephemeride quae inscribitur 'Journal des Savants' ann. 1851, 1852, 1853: de collectione Hippocratea quae sentiret complexus est in libro: 'Histoire des sciences médicales' Lutetiae emisso a. 1870 (I p. 89—144).

Batauus Littrei editione nondum absoluta iussu academiae disciplinarum Amstelodamensis nouam parare instituit, quam publici iuris fecit Traiecti ad Rhenum inde ab anno 1859 usque ad 1864 grandibus noluminibus tribus. codices quos adhibuerit Ermerinsius Leidenses duos, Vossianum et Scaligeranum, minoris esse pretii ipse confitetur. contra quod Marcianum 269 primus ad textum emendandum acciuit, magnopere laudandus est.[1])

Quorum triumuirum opera coniuncta noua tandem lux affulsit collectionis nostrae historiae, de qua iam inde ab Alexandrinorum temporibus usque ad Galenum certiora eruere medici studuerant satis multi. sunt enim haec scripta, siue argumenta spectas siue scribendi genera, tam uaria indole et pretio, ut ad quaestiones quae sunt de origine cuiusque enodandas singulari animus alliciatur cupiditate. conferas quaeso sermonem simplicem subtilem perspicuum, qualis in libris aduertit qui inscribuntur περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων, προγνωστικόν, περὶ διαίτης ὀξέων, περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, περὶ ἀγμῶν, περὶ ἄρθρων, cum eo quem deprehendimus in scriptiunculis περὶ τέχνης, περὶ φυσῶν, νόμος, repetitionibus, contrapositis, agnominationibus sophistarum ratione fucato; peruolue porro περὶ τροφῆς libellum, mysticae cuiusdam obscuritatis affectatione insignem; respice denique operis de uictus ratione (περὶ διαίτης) compositi librum primum, ubi auctorem, non sine aliqua sui ipsius iactatione fusius latiusque inuentis gloriantem, paullo post 'abruptis' utentem reperies sententiis ac 'suspiciosis' — haec omnia ab uno homine conscripta non esse statim suspicaberis.

Accedunt grauiora. argumenta enim singulorum operum si comparaueris, admodum uaria tibi uidebuntur ac discrepantia. exstant libelli, in quibus et obseruationes physiologicae pathologicae chirurgicae exponuntur et praecepta dantur e sola *experientia* desumpta; extant, in quibus doctrinarum philosophicarum agnoscuntur uestigia, Ionicorum scilicet, Pythagoreorum, Eleatarum, Heracliti, Empedoclis, Democriti, Anaxagorae; neque desunt in discipulorum[2])

1) De Marciano uide quae in epimetro exposui.

2) Περὶ ἰητροῦ IX p. 204 sqq. L. cf. p. 206. 214. 218. — Ceterum ab animo impetrare nequeo, ut iucunda sane praecepta, parum nota, reticeam, initio huius scriptionis quae leguntur: Ἰητροῦ μέν ἐστι προστασίη ὀρῆν εὔχρως

usum destinati ipsorumque artis expertium.[1]) quid? quod non solum imitatione expressam uidemus compilatamque praestantissimam quamque collectionis scriptionem, uerum etiam sententias proferri miramur aperte inter se pugnantes. atque ut parcissimus sim in exemplis afferendis, libri *περὶ νούσων α'* exordium illustrissimi operis de Aere aquis locis imitatione confictum esse quem peritum fugit? cui non occurrit ex eodem libro, notissimo illo quidem antiquis temporibus, desumpta esse nonnulla ad uerbum fere congruentia ab auctore *περὶ ἱερῆς νούσου*, cuius copiis rursus usum esse obseruamus eum, qui Hippocratis et Democriti quas non sine risu percurres epistulas conscribillauit; ita quidem ut stemmata quodammodo delineari et possint et debeant, unde, quibus maioribus posterioris aeui proles litteraria prognata sit, cognoscatur? quis est denique, quin ad diuersorum opusculorum originem explorandam acerrime instigetur, cum talia eiusdem auctoris nomine signata reperiat? I p. 572 L: *ἰητρικῇ δὲ πάντα πάλαι ὑπάρχει, καὶ ἀρχὴ καὶ ὁδὸς εὑρημένη*, VI p. 156: *ἀρχὴ δὲ ἰήσιος ἀποδεδειγμένη μὲν οὐκ ἔστιν, ἥτις ὀρθῶς ἀρχή ἐστι πάσης τῆς τέχνης, οὐδὲ δεύτερον οὐδέν, οὐδὲ μέσον, οὐδὲ τελευτή.* — VI p. 334: *ὀδύνη γίνεται καὶ διὰ τὸ ψυχρὸν καὶ διὰ τὸ θερμόν . . . καὶ ἐν μὲν τοῖσι ξηροῖσι φύσει ὑγραινομένοισιν, ἐν δὲ τοῖσιν ὑγροῖσι φύσει ξηραινομένοισι*, I p. 570: *ὁκόσοι ἐπεχείρησαν περὶ ἰητρικῆς λέγειν ἢ γράφειν ὑπόθεσίν σφισιν αὐτοῖσιν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ θερμὸν ἢ ψυχρὸν ἢ ὑγρὸν ἢ ξηρόν . . . καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες.* — VI p. 254: *οὐ γὰρ ἀπὸ γνώμης ταῦτα* (scil. *τὰ φάρμακα*) *εὑρίσκουσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τύχης*, I p. 598: *ἐκ πολλῆς*

τε καὶ εὔσαρκος πρὸς τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ φύσιν· ἀξιοῦνται γὰρ ὑπὸ τῶν πολλῶν οἱ μὴ εὖ διακείμενοι τὸ σῶμα οὕτως οὐδ' ἂν ἑτέρων ἐπιμεληθῆναι καλῶς· ἔπειτα τὰ περὶ αὐτὸν καθαρίως ἔχειν, ἐσθῆτι χρηστῇ καὶ χρίσμασιν εὐόδμοις, ὀδμὴν ἔχουσιν ἀνυπόπτως· πρὸς ἅπαντα ταῦτα γὰρ ἡδέως ἔχειν ξυμβαίνει τοὺς νοσέοντας. δεῖ δὲ σκοπέειν τάδε περὶ τὴν ψυχήν· σώφρονα μὴ μόνον τὸ σιγᾷν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὸν βίον πάνυ εὔτακτον (μέγιστα γὰρ ἔχει πρὸς δόξαν ἀγαθά), τὸ δὲ ἦθος εἶναι καλὸν καὶ ἀγαθόν, τοιοῦτον δ' ὄντα πᾶσι καὶ σεμνὸν καὶ φιλάνθρωπον· τὸ γὰρ προπετὲς καὶ τὸ πρόχειρον καταφρονεῖται, κἂν πάνυ χρήσιμον ᾖ κτλ.

1) *Περὶ παθῶν* (VI p. 208 sqq. L), cuius exordium hoc: *ἄνδρα χρή, ὅστις ἐστὶ συνετός, λογισάμενον ὅτι τοῖσιν ἀνθρώποισι πλείστου ἄξιόν ἐστι ἡ ὑγιείη, ἐπίστασθαι ἀπὸ τῆς ἑωυτοῦ γνώμης ἐν τῇσι νούσοισιν ὠφελέεσθαι . . . ἐπίστασθαι δὲ τούτων ἕκαστα, ἐς ὅσον εἰκὸς ἰδιώτην.* cf. *περὶ διαίτης* III 68 (VI p. 594 L), ubi eis praecepta dantur, in itineribus quibus uersandum sit et terrestribus et marinis.

ἀγνωσίης θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα ὡς καλῶς καὶ ὀρθῶς ἐξεύρηται καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης.

Quae tenebrae 'lucidis diei telis ut discuterentur', Littreus uiam muniuit ingeniosissime. qui cum intellexisset, ante omnia id agendum esse, de commentatoribus collectionis Hippocrateae antiquis quae apud Erotianum potissimum Galenumque laterent testimonia ut colligerentur collectaque ad totius corporis medicinalis historiam primis lineis designandam adhiberentur, auspicatissimum sibi horum studiorum post tumultuarios Lemosii Mercurialis Gruneri Ackermanni Grimmii Sprengelii Linkii Meixneri labores fundamentum iecit. demonstrauit enim, quinto quartoque ante Christum saeculo cum a paucis fieret placitorum Hippocrateorum mentio[1]), antiquissimorum contra commentatorum et glossographorum temporibus, Alexandriae qui florebant inde a tertii saeculi initio (Erasistratum dico, Herophilum, Bacchium, Philinum, Glauciam, Zeuxin, Heraclidem Tarentinum), collectionis libros in codicibus nostris mss. traditos luce subitaria collustratos apparere tantum non omnes. qua substructione condita, firmissima illa quidem, iam ad id tempus definiendum progressus, quo talem qualis ad posteriorem aetatem propagata esset collectionem in uolgus notam nondum fuisse argumento statuere liceret satis euidenti, minus feliciter egit Francogallus. allegat namque Aristotelis locum, in Historia animalium libri tertii capite tertio obuium[2]), ubi uenarum corporis humani descriptionem proponit Stagirites, e Polybi opere Hippocratis generum quem fuisse proditum est desumptam, inde, eadem quod occurrat in collectione, libello de Natura hominis inserta[3]), Aristotelis aetate corpus Hippocrateum in lucem nondum prodiisse concludi posse ratus, quippe quod si iam concinnatum fuisset eo tempore, *Hippocratem* futurum fuisse ut nominaret Aristoteles, non Polybum.[4]) quae coniectura hac re cum stabiliatur, quod nonnullos collectionis libellos[5]) ante Aristotelem conscriptos non esse euincatur rationi-

1) A Platone scilicet, Ctesia, Diocle Carystio, Aristotele, ut omittam posteriores quosdam. quod Thesmophoriazusarum uersu 273 ad *ὅρκον* alludi censet Littreus I p. 31, uereor ne nulli persuaserit praeter JRosenbaumium futtilissima hallucinantem (Archiv für die gesamte medicin herausgeg. von Dr. HHaeser I p. 101 sqq.) ipsumque Haeserum (Geschichte der medicin I[3] p. 100 sq.).

2) p. 512 b 12 Bekker: *Συέννεσις μὲν οὖν καὶ Διογένης οὕτως εἰρήκασιν, Πόλυβος δὲ ὧδε κτλ.*

3) Cap. XI, tom. VI p. 58 sq. L.

4) Cf. I p. 46 sq. 262. 264 sq. 345 sqq. L.

5) Cf. I p. 382 sqq.

bus e medicinae historia depromptis, uiginti circiter annorum spatium relictum esse censet Littreus, quo opera Hippocratica, quorum maxima pars a Coi discipulis et propinquis in hominum imperitorum fortasse possessionem peruenisset, publici iuris facta esse debeant.[1])

Non repetam contra haec quae disputata sunt a Darembergio in operis Littreani censura cuius supra memoriam attuli[2]) (Journal des Sav. 1852 p. 450 sqq. cf. Oeuvres choisies[2] p. LXI sqq.); hoc dico, ueri simillimum quidem uideri sub quarti saeculi finem, quo tempore et undique conquirerentur ueterum libri, et, sicut ab Aristotele e. gr. rhetorum, a Theophrasto philosophorum, ab Eudemo geometrarum astrologorum arithmeticorum[3]), ita ipsorum medicorum opiniones collectas fuisse constet a Menone, Aristotelis discipulo[4]), eadem inquam aetate quidquid de Hippocratis scriptis superesset, una cum recentiorum nonnullorum operibus, in unum cor-

1) I 268: .. d'une part, les renseignements extérieurs sur la Collection ne remontent pas au-delà d'Hérophile, d'autre part, la date des compositions les plus modernes de ce recueil ne descend pas au-delà d'Aristote et de Praxagore. Il y a entre ces deux époques un intervalle dans lequel la Collection a été publiée. Les hippocratiques ont travaillé jusqu'à la première époque; puis leur famille s'est éteinte; leur héritage est passé à d'autres mains; et peu de temps après, l'ouverture de la Bibliothèque de Ptolémée Lagus sollicitant la vente des livres, ce qui restait de leurs œuvres a été mis au jour sous le nom du plus célèbre d'entre eux, et sans indice qui pût faire connaître les véritables auteurs de cette masse d'écrits. cf. p. 281 sq. 285 sq.

2) Complectitur Darembergius sententiam his (JdS 1852 p. 457 sq.): Je pense que les livres hippocratiques ont été publiés et connus comme tels *avant Aristote;* en second lieu, qu'ils ont eu plus de publicité que M. Littré ne le suppose; enfin, qu'ils n'ont jamais été concentrés dans une caste médicale, tout en admettant qu'ils ont été publiés par les premiers Hippocratistes.

3) De Theophrasti *φυσικῶν δοξῶν* libris XVIII cf. HVseneri Analecta Theophrastea p. 25 sqq., HDielesii Doxogr. p. 102 sqq.; de Eudemo Anal. p. 17, Doxogr. p. 102.

4) Galen. comm. in Hipp. de Nat. hom. (XV 25 sq. K): *καί σοι πάρεστιν εἰ χαίροις τῇ περὶ τούτων ἱστορίᾳ τὰς τοῦ Θεοφράστου βίβλους ἀναγνῶναι, καθ' ἃς τὴν ἐπιτομὴν ἐποιήσατο τῶν φυσικῶν δοξῶν. ὥσπερ γε πάλιν εἰ τὰς τῶν παλαιῶν ἰατρῶν δόξας ἐθέλοις ἱστορῆσαι, πάρεστί σοι τὰς τῆς ἰατρικῆς συναγωγῆς ἀναγνῶναι βίβλους, ἐπιγεγραμμένας μὲν Ἀριστοτέλει, ὁμολογουμένας δὲ ὑπὸ τοῦ Μένωνος, ὃς ἦν μαθητὴς αὐτοῦ, γεγράφθαι, διὸ καὶ Μενώνεια προσαγορεύουσιν ἔνιοι ταυτὶ τὰ βιβλία. δῆλον δὲ ὅτι καὶ ὁ Μένων ἐκεῖνος, ἀναζητήσας ἐπιμελῶς τὰ διασωζόμενα κατ' αὐτὸν ἔτι τῶν παλαιῶν ἰατρῶν βιβλία, τὰς δόξας αὐτῶν ἐκεῖθεν ἀνελέξατο. τῶν δ' ἤδη διεφθαρμένων παντάπασιν ἢ σωζομένων μέν, οὐ θεωρηθέντων δ' αὐτῷ, τὰς γνώμας οὐκ ἠδύνατο γράψαι.* cf. Val. Rosei Aristoteles pseudepigr. p. 385, Doxogr. p. 232.

pus redactum esse (quo num usus sit Meno in *ἰατρικῆς συναγωγῆς* libris nescimus), accuratiore autem opus esse inquisitione, uti, quo tempore singulorum collectionis libellorum apud quarti saeculi scriptores prima appareant uestigia, amplius quam adhuc factum sit statuatur.[1])

Haec recta nia, qua ad syllogae historiam illustrandam perueniretur, neque uero ei concessa, qui primis modo initiatus est scientiae sacris. namque ad eum laborem suscipiendum, cuius indicauimus *σκοπόν*, uires cum suppeditent nemini, nisi qui prorsus insinuauerit sese per longi temporis consuetudinem in amplissimos operum Hippocraticorum thesauros, is, qui primis labris degustauit horum studiorum austeram iucunditatem, quid valeant humeri praemeditatus non, quae semina ex totius collectionis cornu copioso in posteriorum scriptorum ingenia coniecta esse ueri simile sit, inuestigandum sibi proponet, sed anteriorum potius et aequalium scrutabitur doctrinas, uti et perspiciat eius quae sit condicio, et, cum perspexerit, ad maiora molienda paullatim conualuisse sese possit persentire.

Quod si reputaueris tecum, artissimum temporibus priscis arti medicae cum philosophia fuisse conexum, quod ea, quae sapientes ueteres docuerint, etiam collectionis nostrae auctores profiteri interdum animadvertes, non miraberis. minime quidem aduersor Cornelii Celsi sententiae, 'Hippocratem Coum primum ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiae disciplinam medicam separasse' censentis 'uirum et arte et facundia insignem'[2]); tenendum autem est, sicut recte hoc iudicasse sedulum cestorum auctorem: 'primo medendi scientiam sapientiae partem habitam esse, ut et morborum curatio et rerum naturae contemplatio sub iisdem sit auctoribus nata'[3]) inde perspiciatur, quod et reliquos ante Hippocratem qui floruerunt philosophos non neglexisse constet de ortu compositione morbis corporis humani quaestiones, et Empedocles tractauerit *ἰατρικὰ* siue seorsim siue in physicis Pausaniae *medico* dedicatis, et Democrito ascribantur libelli medicinales in catalogo Laertiano, Diogenis

1) Nuperrime hac ratione progredi coepit FPoschenrieder in programmate Bavarico (die platonischen dialoge in ihrem verhältnisse zu den hippokratischen schriften. Landshut 1882).

2) Libr. I prooem.

3) Cf. JBernaysii Heraclitea (Bonnae 1848) p. 19: 'et Pythagoreorum et Heracliti physica multo magis quam reliquorum philosophorum adhibebatur medicae arti excolendae'.

Apolloniatae denique de uenarum dispositione fragmentum satis amplum posteris prodiderit Aristoteles Historiae animalium loco supra quem commemorani[1]); sicut porro eandem posterioribus saeculis necessitudinem philosophiam inter et medicinam intercessisse appareat Platonis Aristotelis[2]) Theophrasti[3]) Galeni exemplis — ita neque Hippocraticae syllogae peruestigatorem latere placitorum philosophicorum uestigia.

Quae cum ita essent, fuerunt, ad priscorum memoriam uno conspectu ponendam qui se accingerent. obiter rem strinxerant superiores, quia plurimorum philosophorum reliquiae collectae nondum extabant neque in ordinem digestae. neque uero e. gr. Sprengelius in Hippocratis Apologia neque Linkius, de uariis librorum Hippocraticorum doctrinis qui disseruit in academiae Berolinensis actis ann. 1814—15, breuissime quidem sed gnauiter, prorsus decreta physica neglexerunt. uberiora inuenit Petersenus, 'Hippocratis nomine quae circumferuntur scripta ad temporum rationes disposita' qui exhibuit in programmate Hamburgensi (a. 1839) doctissime scripto et ingeniose.[4]) post Petersenum, RHirzelium si excipias, ex epistulis Hippocratis et Democriti pseudepigraphis, quae quo tempore confictae essent nemodum satis curiose quaesiuit, praeeunte ten Brinkio (Philol. VIII p. 416 sqq.) Democritea expiscatum in Hermae uol. XIV p. 358 sqq., unus fere *περὶ διαίτης*

1) HA III, 2 p. 511 b 30 sq.

2) In calce earum commentationum quae inscribuntur Parua Naturalia haec scripsit Aristoteles (p. 480 b 22 Bk): *περὶ δὲ ὑγιείας καὶ νόσου οὐ μόνον ἐστὶν ἰατροῦ ἀλλὰ καὶ τοῦ φυσικοῦ μέχρι του τὰς αἰτίας εἰπεῖν. τῶν τε γὰρ ἰατρῶν ὅσοι κομψοὶ ἢ περίεργοι λέγουσι τὰ περὶ φύσεως καὶ τὰς ἀρχὰς ἐκεῖθεν ἀξιοῦσι λαμβάνειν. καὶ τῶν περὶ φύσεως πραγματευθέντων οἱ χαριέστατοι σχεδὸν τελευτῶσιν εἰς τὰς ἀρχὰς τὰς ἰατρικάς.*

3) Enumerantur in Diogenis catalogo opera Theophrastea ad medicinam spectantia haec e. gr.: *περὶ ἐπιλήψεως, περὶ ἰλίγγων καὶ σκοτώσεων, περὶ ἱδρώτων, περὶ κόπων, περὶ λοιμῶν, περὶ λειποψυχίας, περὶ μελαγχολίας, περὶ μέθης, περὶ παραλύσεως, περὶ πνιγμοῦ, περὶ παραφροσύνης, περὶ παθῶν.*

4) Quartum argumentorum genus hoc est Peterseno (p. 6): 'Ut librorum inprimis antiquiorum aetates cognoscamus, cum rerum gestarum in iis nunquam mentio fiat, neque multo frequentior sit scriptorum medicorum memoria apud rerum scriptores, inprimis philosophi sunt consulendi, quorum doctrinas et aetates cognitas habemus. etenim cum antiquissimis temporibus praeter historicos inprimis philosophi libros ediderint, pro eorum celebritate et auctoritate fieri non potuit, quin ex eorum doctrinis in medicinam tum philosophiae tam affinem nonnihil transferretur'.

liber primus uirorum doctorum animos alliciebat. quae in abscondita secreta JMGesneri uestigia secutus facem praetulit, cuius numquam delebitur pia memoria, Iacobus Bernaysius.[1]) qui cum in dissertatione Bonnensi a. 1848 edita[2]) e libello parum noto Heracliteae doctrinae speciem elucere demonstrasset, eodem deduxit EZellerum PSchusterum nec non GTeichmuellerum. atque de hac quidem re conuenit inter uiros doctos, librum nostrum Ephesii sententiarum fontem esse minime limpidum (quamquam exscripsisse nonnulla placuerat Bernaysio de diaeta auctorem, imitatorem potius iudicauerunt posteriores); quo tempore ortus sit, nondum satis accurate definitum. quod qui aggressi sunt, aliorum philosophorum num forte inessent uestigia quaesiuerunt. atque cum Petersenus quidem et Melissi doctrinam agnoscere sibi uisus esset, Philoponi loco usus satis suspecto (l. c. p. 40; cf. Zelleri Hist. philos. I[4] p. 561, 2; 562, 2), et Pythagoricam medendi rationem, de qua nihil exposuit; Bernaysius, optime qui intellexerat 'commune uariarum doctrinarum receptaculum' esse librum *περὶ διαίτης* (p. 2), tamen 'ceterorum philosophorum res repetundas aliis committens' (p. 5) unum locum Pythagoreis ascripsisset (p. 18): Paulus extitit Schuster, atomicos ipsumque Aristotelem subodoratus in actis societatis Ritschelianae t. III (p. 101, 2. 104, 2. 107, 1. 110. 287). qui cum coniectura admodum leui post Aristotelem scriptum esse libellum suspicatus esset (cf. Teichmueller, neue stud. I p. 250, II p. 3), ecce Heracliti placitum de perpetuo rerum in contraria transitu nouo emicuit exemplo. Teichmueller enim Anaxagora antiquiorem esse auctorem statuit ita quidem, ut esset uetustissimum, quod quidem integrum extaret, *περὶ διαίτης* scriptiuncula prosae orationis graecae monumentum. obstitit Teichmuellero, ut par erat, Zeller (Hist. philos. I[4] p. 633 sqq.), contra quem alterum Studiorum fasciculum direxit Dorpatensis sententiae tenacissimus. de qua re quid sentiam nemini quamquam scio curae futurum, nona nisi proferam argumenta, ab hoc loco quod alienum esse debet, moneo tamen inesse in libro de Diaeta primo Empedoclis, inesse Anaxagorae uestigia, a GPWeygoldtio monstrata (in Fleckeiseni annal. 1882 p. 171 sqq.). de Archelao non persuasit mihi Weygoldtius, nullus ut dubitationi locus relictus sit; cuius commentatiuncula non ita prorsus absoluta

1) Consulto omisi Ferdinandi Lassallei librum: 'die philosophie Herakleitos des dunklen von Ephesus', editum anno 1858, haud inscii eius quidem libelli nostri iam ante Bernaysium (cf. I p. 11 NB, p. 163 sqq.), sed parum *ἀκριβῶς*, id quod notissimum est, officio functi.

2) Heraclitea, particula I.

est haec quaestio, ut APatino id quod in studiis Heracliteis promisit[1]) remittamus. namque is, postquam Bernaysii ni fallor admonitione impulsus, quae legitur in aureolo illo de epistulis Heracliteis libello[2]) p. 145 sqq., et compilasse Heracliti librum et imitatum esse demonstrauit auctorem *περὶ τροφῆς* (IX p. 98 sqq. L), quem et ipsum *περὶ διαίτης* opus conscripsisse probare studet, — in calce docti opusculi in honorem LVrlichsii scripti Zellerianam de ceteris auctoribus *ῥέοντος* nostri sententiam examinaturum esse sese pollicetur.

Relinquo haec de heraclitissantis siue unius siue duorum scriptis studia, e quibus uerum esse Ephesii illud *πόλεμος πατὴρ πάντων* discere licet, eis qui manum iniecerunt: ipse ad nonnullos collectionis Hippocraticae libros me conuerto, e quibus *sophistae* de medicina quomodo scripserint et declamauerint discere licet.

I.

Exordio libri *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* quae leguntur capitibus tribus, antequam clarissimam illam de quattuor humoribus doctrinam corporis humani elementis exponit auctor, prooemii loco et sophistas quosdam et medicos breuiuscula carpit disputatione. ad quam tractandam uiam sternemus scriptionem *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* comparantes. emissus autem est is liber contra eorum declamationes ac libellos (*ὁκόσοι ἐπεχείρησαν περὶ ἰητρικῆς λέγειν ἢ γράφειν ... καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες* I p. 570 L), qui de uetere medendi modo decedentes proba inueniendi uia relicta alia ratione causam morborum atque mortis quaerant inuenisseque sese glorientur (*ὅστις δὲ ταῦτα ἀποβαλὼν καὶ ἀποδοκιμάσας πάντα* ⟨scil. *τὰ εὑρημένα*⟩ *ἑτέρῃ ὁδῷ καὶ ἑτέρῳ σχήματι ἐπιχειρέει ζητέειν καὶ φήσει τι εὑρηκέναι, ἐξηπάτηται καὶ ἐξαπατᾶται, ἀδύνατον γάρ* p. 572). quos postquam refutare studuit qui hunc libellum conscripsit, capite uicensimo quam ipse rationem in arte medica sequendam censeat, paucis complectitur. orditur ab eorum doctrina impugnanda, qui artem cognitam habere neminem posse dictitent, nisi qui sciat quid sit homo (*λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ καὶ σοφισταὶ ὡς οὐκ ἔστι δυνατὸν ἰητρικὴν εἰδέναι ὅστις μὴ οἶδεν ὅ τι ἐστὶν ἄνθρωπος· ἀλλὰ τοῦτο δεῖ καταμαθεῖν τὸν*

1) Quellenstudien zu Heraklit. pseudohippokratische schriften. 1881.
2) Die heraklitischen briefe. ein beitrag zur philosophischen und religionsgeschichtlichen litteratur. 1869.

μέλλοντα ὀρθῶς θεραπεύσειν τοὺς ἀνθρώπους p. 620). quorum medicorum sophistarumque ad philosophiam tendere orationem, Empedoclis uiam rationemque sequentium siue aliorum, de rerum natura qui scripserint, e principio quid sit homo et quomodo ortus sit primum et quomodo coaluerit explicantes (*τείνει δὲ αὐτῶν ὁ λόγος ἐς φιλοσοφίην, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς ἢ ἄλλοι οἳ περὶ φύσιος γεγράφασιν ἐξ ἀρχῆς ὅ τι ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον καὶ ὅπως ξυνεπάγη* p. 620). sese uiam probare plane contrariam. de hominis enim natura omnino nihil posse cognosci, nisi ex arte medica, si quidem recte quis omnem complectatur (*νομίζω δὲ περὶ φύσιος γνῶναί τι σαφὲς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν εἶναι ἢ ἐξ ἰητρικῆς. τοῦτο δὲ οἷόν τε καταμαθεῖν, ὅταν αὐτήν τις τὴν ἰητρικὴν ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ* p. 620 sq.). quae cum ita sint, ab hac proficisci necesse esse, quid sit homo, quibus causis gignatur, reliqua accurate qui scire cupiat (*λέγω δὲ τὴν ἱστορίην ταύτην, εἰδέναι ἄνθρωπος τί ἐστι καὶ δι' οἵας αἰτίας γίνεται καὶ τἆλλα ἀκριβέως* p. 622); medicum unumquemque necessario de natura haec scire debere, quomodo cibis, potionibus, aliis rebus et corpus humanum in uniuersum et pro indole unumquemque affectum iri consectarium sit (*ἐπεὶ τοί γέ μοι δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ περὶ φύσιος εἰδέναι καὶ πάνυ σπουδάσαι ὡς εἴσεται, εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν, ὅ τι ἐστὶν ἄνθρωπος πρὸς τὰ ἐσθιόμενα καὶ πινόμενα καὶ ὅ τι πρὸς τὰ ἄλλα ἐπιτηδεύματα, καὶ ὅ τι ἀφ' ἑκάστου ἑκάστῳ ξυμβήσεται* p. 622).

Quod si quaerimus, qui fuerint medici illi et sophistae ante omnia statuendum esse censentes *ὅ τι ἐστὶν ἄνθρωπος*, et Empedoclem ab auctore ipso nominatum uidemus et ampliora docemur in libro *de Natura hominis* conscripto. namque toto hoc libro, quoad quidem iusto conexu procedat, cum id agatur, ut quattuor humoribus corpus humanum constitui demonstretur et sanitatis et morborum causis, sanguine scilicet pituita bile flava et atra (*τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα καὶ χολὴν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν, καὶ ταῦτ' ἐστιν αὐτῷ ἡ φύσις τοῦ σώματος καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει* VI p. 38 sq. L, cf. p. 40 *εἶπον δή, ἃ ἂν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, ἀποφανεῖν αἰεὶ ταὐτὰ ἐόντα ... φημὶ δὴ εἶναι αἷμα κτλ.*), tum initio diuersae de hac re recensentur sententiae.

Atque primo quidem capite in sophistarum quasi introducimur conuentum de mundi uniuersi principio uerbis concertantium. quorum in disputationibus, alii quamquam ex aere omnia constare

uideantur, ex igne aliis aut aqua terraue, ita scilicet ut eadem non semper uincat sententia, sed illa modo in certaminibus superior existat modo illa, hoc tamen communi iudicio statui ab omnibus, *unum* quid esse quodcumque sit et id ipsum *unum simul atque uniuersum* (*φασί τε γὰρ ἕν τι εἶναι ὅ τι ἐστὶ καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν, κατὰ δὲ τὰ οὐνόματα οὐχ ὁμολογέουσιν. λέγει δ' αὐτῶν ὁ μέν τις φάσκων ἠέρα εἶναι τοῦτο τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν, ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν καὶ ἐπιλέγει ἕκαστος τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια ἅ γέ ἐστιν οὐδέν* p. 32). neque uero hoc solummodo exponere solebant illi, quomodo compositus esset *ὁ μακρὸς κόσμος* (ut e sententia dicam *ἀνδρῶν παλαιῶν περὶ φύσεως ἱκανῶν* Gal. III 241 K), sed de humana quoque natura supra medicam facultatem disserentes (*ἀμφὶ τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης προσωτέρω ἢ ὁκόσον αὐτῆς ἐς ἰητρικὴν ἐφήκει* p. 32), sicuti consequens erat, nihil nisi aerem aut ignem aut aquam aut terram hominem esse totum asseuerare audebant (*οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι οὔτε πῦρ οὔτε ὕδωρ οὔτε γῆν οὔτ' ἄλλο οὐδέν, ὅ τι μὴ φανερόν ἐστιν ἐνεὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ τοῖσι βουλομένοισι ταῦτα λέγειν παρίημι* p. 32).

Sententias non de suo prompsisse eos in disputationibus, sed a temporum praecedentium philosophis esse mutuatos, manifestum est. Aristoteles ueteres ubi philosophos recenset, saepe memorat *τοὺς λέγοντας εἶναι ἓν τὸ πᾶν* (cf. Phys. p. 185 b 7, p. 188 a 20) siue *ἓν τὰ πάντα* (p. 185 a 22) siue *πάντα ἕν* (p. 187 a 1) similia (cf. *ὅσοι μὲν οὖν ἕν τε τὸ πᾶν καὶ μίαν τινὰ φύσιν ὡς ὕλην τιθέασι* Metaph. p. 988 b 22). iam uero interpretes antiqui, cuius quisque magistri sectator extitisset quaerentes, de *terra* unico et mundi uniuersi et naturae humanae principio testimoniis destituti caput scalpebant. ut Artemidorum quidem Capitonem, qui editionem fecisset operum Hippocrateorum imperatori Hadriano ualde acceptam, quia neque librum inuenisset uiri ueteris, terram solam elementum profitentis, neque apud Peripateticos historiae philosophae studiosissimos placitum tale legisset, uerba *οὔτε γῆν* audacter omittentem scripsisse: *οὔτε γὰρ τὸ πᾶν* (sic) *ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι οὔτε πῦρ οὔτε ὕδωρ* Galenus narrat[1]), in-

1) *Ἀρτεμίδωρος ὁ ἐπικληθεὶς Καπίτων ἔκδοσιν ἐποιήσατο τῶν Ἱπποκράτους βιβλίων εὐδοκιμήσασαν οὐ μόνον παρὰ Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι, ἀλλὰ καὶ νῦν ἱκανῶς ὑπὸ πολλῶν σπουδαζομένην, ὥσπερ καὶ ἡ τοῦ συγγενοῦς αὐτοῦ Διοσκουρίδου* (diuersi scilicet a medico illustrissimo Anazarbaeo ab Erotiano, Neronis aequali, primum nomine citato ⟨p. 85, 7

terpretatus de quo agimus opusculum libris duobus (XV p. 1—173 K): in Sabini uero commentario extare haec: *οὔτε γὰρ πάμπαν ἀέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον, ὥσπερ Ἀναξιμένης, οὔτε ὕδωρ ὡς Θαλῆς, οὔτε γῆν ὡς ἕν τινι Ξενοφάνης* (XV p. 25). carpit Sabinum Galenus insolentius, id quod ab eius more non abhorret. etenim cum neque ipsius Xenophanis uersu neque Theophrasti Opinionibus physicis haec sententia comprobetur, consulto mentitum esse sophistam conuiciatur (*ἀλλὰ καὶ ὁ Σαβῖνος αὐτὸς εὔδηλός ἐστιν ἐκ τῶν αὑτοῦ καταψευδόμενος, οὐχ ὑπ' ἀγνοίας ἐσφαλμένος, ἢ πάντως ἂν ὀνομαστὶ προσέγραψε τὸ βιβλίον ἐν ᾧ ταῦτα ἀπεφήνατο . . . καὶ Θεόφραστος δ' ἂν ἐν ταῖς τῶν φυσικῶν δοξῶν ἐπιτομαῖς τὴν Ξενοφάνους δόξαν, εἴπερ οὕτως εἶχεν, ἐγεγράφει* p. 25). quod iniuria fieri haud in obscuro. debebat scire Pergamenus, neque Sabinum neque alios illos interpretes nonnullos consulto protulisse efficta (*κακῶς δὲ καὶ τῶν ἐξηγητῶν ἔνιοι κατεψεύσαντο Ξενοφάνους, ὥσπερ καὶ Σαβῖνος* ibid.), sed uersu nisos esse, de quo multum pugnatum est: *ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ* (fr. 8). nimirum duplex antiquis temporibus tradebatur de Xenophanis doctrina physica uirorum doctorum opinio, cum alii e terra, e terra et aqua alii orta esse cuncta

Klein⟩) XV p. 21 K. — Inuehitur in Dioscoridem et Capitonem Galenus locis permultis (cf. e. gr. *πολλὰ περὶ τὰς ἀρχαίας γραφὰς ἐκαινοτόμησαν* XVI p. 2, *ἐκ τοῦ συνήθους τοῖς ἄλλοις ὀνόματα πολλὰ μετεκόμισαν* XIX p. 83, *οὐ χρὴ δὲ μηδὲ κατὰ τύχην καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου τὰς ἀρχαίας ῥήσεις μεταλλάττειν . . . ὅπερ ὄντως ἐοίκασι ποιεῖν μάλιστα Διοσκορίδης τε καὶ Καπίτων καὶ ἄλλοι πολλοί* XVI p. 485), quorum primarius est commentar. primi ad Hippocratis Epidemiarum librum sextum praefatio (XVII A p. 793 sqq.), unde praecepta critica, quibus gauisuri sint forte lectores, excerpere libet. namque eos quidem acriter uituperans Galenus, qui leuiusculis coniecturis temere textum deturpauerint (. . . *ἐλυμήναντο πολλοὶ τῶν ἐξηγητῶν, ἄλλοι ἄλλως, ὡς ἕκαστος ἤλπισε πιθανῶς ἐξηγήσασθαι, τὴν κατὰ τοῦτον* (sc. *Ἱππ.*) *λέξιν ὑπαλλάττων*), immo uero codices antiquissimos conquirendos esse docet eorumque libros, qui primi Hippocratem interpretati sint (. . . *ὥστε ἠναγκάσθην ἐγὼ διὰ τοῦτο τήν τε παλαιότητα τῶν ἀντιγράφων ἐπιζητῆσαι τά τε ὑπομνήματα τῶν πρώτων ἐξηγησαμένων τὸ βιβλίον* p. 793 . . . *δηλῶσαι τὴν παλαιὰν γραφήν* p. 794), neque prius mutationem esse concessam, quam uerba in eis tradita sana esse non posse constet. probabilem autem esse debere coniecturam, ut Heraclidis illam, qui uerba: *πρὸς δὲ τὸ Ἀφροδίσιον αἱ ΟΥΡΑΙ ἔβλεπον* sanauerit *ΘΥΡΑΙ* scribens. facillime enim fieri potuisse, ut uel membranae tenuis cuiusdam particulae interitu, uel temporis decursu lineola illa euanesceret (*δυνατὸν γὰρ δὴ οὕτω καὶ λεπτῆς ἰνὸς ἀπολωλυίας συναπόλλυσθαι τὴν γραμμὴν ταύτην καὶ κατ' ἀρχὰς εὐθὺς αὐτὴν ἀμυδρὰν γραφεῖσαν ἐξίτηλον ὑπὸ τοῦ χρόνου γενέσθαι* p. 794).

docuisse eum defenderent. cuius rei testis est Sextus Empiricus (adu. Math. X 313 sq.) referens haec: *Ξενοφάνης δὲ κατ' ἐνίους ἐκ γῆς* (scil. *ἀπέλιπε τὴν γένεσιν, ἐξ ἑνὸς δὲ καὶ ποιοῦ γεγενῆσθαι τὰ πάντα θέλει*), ... *ἐκ πλειόνων δὲ καὶ ἀριθμητῶν, δυοῖν μέν, γῆς τε καὶ ὕδατος, ὁ ποιητὴς Ὅμηρος ... συμφέρεσθαι δ' αὐτῷ δοκεῖ κατ' ἐνίους καὶ ὁ Κολοφώνιος Ξενοφάνης*, quae ex allegoriis Homericis ante Vitruuium in unum corpus redactis per Heracleonis commentarium Homericum in Sexti librum fluxisse quo pollet acumine perspexit Hermannus Dielesius (Doxogr. p. 91 sqq.).

Mentitum non esse Sabinum uidimus, sed praue intellexit Colophonii sententiam. ueque enim physiologorum Ionicorum ratione terram principium posuisse Xenophanem, e qua et mundus uniuersus et homines constarent, et aliis locis permultis concludere licet et inde, quod apud Aristotelem in priscorum philosophorum censura 'facile eos quoduis elementum pro principio statuisse' legimus '*πλὴν γῆς*' (Metaph. I, 8. 988 b 29). quae cum ita essent, apud Theophrastum hoc non potuit relatum inuenire Galenus. si uero diligentius inquisiuisset in pretiosissimam Opinionum physicarum syllogen, sine dubio in eum locum incidisset, ex Opinionum epitoma quadam ab Hippolyto excerptum (Philos. 14, 5 sq.) nobis quem fata seruarunt, unde memoriae illius de principio terreno *originem* perspicere poterat. notissimas illas dico Xenophanis obseruationes palaeontologicas. eis enim, quod conchae reperirentur procul a mari quodque animalium marinorum imagines lapidi impressas uisas esse constaret in lautumiis Syracusanis, Pari, Melitae, testimoniis usus extitisse quondam terrae et maris commixtionem Xenophanes cum sumpsisse tradatur (*ὁ δὲ Ξενοφάνης μῖξιν τῆς γῆς πρὸς τὴν θάλασσαν γίνεσθαι δοκεῖ καὶ τῷ χρόνῳ ὑπὸ τοῦ ὑγροῦ λύεσθαι, φάσκων τοιαύτας ἔχειν ἀποδείξεις, ὅτι ἐν μέσῃ γῇ καὶ ὄρεσιν εὑρίσκονται κόγχαι, καὶ ἐν Συρακούσαις δὲ ἐν ταῖς λατομίαις λέγει εὑρῆσθαι τύπον ἰχθύος καὶ φωκῶν, ἐν δὲ Πάρῳ τύπον ἀφύης ἐν τῷ βάθει τοῦ λίθου, ἐν δὲ Μελίτῃ πλάκας συμπάντων θαλασσίων* p. 566 Diels), ita quidem, ut in limum omnia conuerterentur (*ταῦτα δέ φησι γενέσθαι, ὅτε πάντα ἐπηλώθησαν πάλαι, τὸν δὲ τύπον ἐν τῷ πηλῷ ξηρανθῆναι* ibid.), hominum et parentem et exitium (*ἀναιρεῖσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους πάντας, ὅταν ἡ γῆ κατενεχθεῖσα εἰς τὴν θάλασσαν πηλὸς γένηται, εἶτα πάλιν ἄρχεσθαι τῆς γενέσεως*), — duo quidem elementa in promptu erant neque tamen ineptum latiore sensu de terra sola loqui, quippe quam deorsum in infinitum uergere statuisset

Xenophanes (*γαίης μὲν τόδε πεῖρας ἄνω πὰρ ποσσὶν ὁρᾶται αἰθέρι προσπλάζον, τὰ κάτω δ' ἐς ἄπειρον ἱκάνει* fr. 12), maris receptaculum.

Vt Sabinum fecisse uidimus, ita etiam sophistas *φάσκοντας γῆν εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν* uersu Xenophaneo nisos esse praue intellecto, haud uerisimile. eu! physicae rationis uestigia tenemus reconditioris. namque Archelaum terram docuisse principium quod refert Epiphanius (*Ἀρχέλαος ... ἐκ γῆς τὰ πάντα λέγει γεγενῆσθαι. αὕτη γὰρ ἀρχὴ τῶν ὅλων ἐστίν, ὥς φησι* p. 590 Diels), aperte peccat (cf. Doxogr. p. 177); neque huc quadrant, quae traduntur de Empedocle (*Ἐμπεδοκλῆς ὅτε ἐγεννᾶτο τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐκ τῆς γῆς* ... Aëtii Plac. V 18, 1), Anaxagora, Diogene Apolloniata (*Διογένης Ἀναξαγόρας μετὰ τὸ συστῆναι τὸν κόσμον καὶ τὰ ζῶα ἐκ τῆς γῆς ἐξαγαγεῖν* ... ibid. II 8, 1), — de Anaximandro Parmenide Democrito ut omnino taceam, — quoniam a principio unico abhorruisse priores neminem fugit, Diogenes secutus est Anaximenem. itaque, cum neque mundi uniuersi terram principium profitentem uideamus quemquam '*διὰ τὸ δυσαλλοίωτον*' (Simpl. in Ar. Phys. p. 149 Diels)[1]), neque corporis humani, in Galeni acquiescendum consolatione, neque omnes placita sua litteris mandasse nec non intercidisse multorum libros prolixe, uti solet, exponentis (*ἄμεινον μὲν οὖν εἰρῆσθαι τοῖς ἐξηγηταῖς ὡς τάχα μὲν οὐδ' ἔγραψαν πάντες οὗτοι τὰς ἑαυτῶν δόξας· ἐγχωρεῖ δὲ καὶ γραψάντων αὐτῶν μὴ διασωθῆναι. φαίνεται γὰρ τοῦτο κατὰ πλείους αἰτίας γιγνόμενον* etc. XV p. 23 sq. cf. p. 67 sq.). —

Alia ratione de corporis humani compositione philosophabantur, libri *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* capitibus altero et tertio qui recensentur medici. atque id quidem eis cum sophistis de quibus diximus commune est, quod *unum* corporis humani ponunt principium, mutans speciem ac facultatem calido frigidoque coactum ita uti fiat dulce amarum album atrum aliud quid (*ἐπίλογον δὲ ποιεῦνται καὶ οὗτοι πάντες τὸν αὐτόν· ἓν γάρ τι εἶναί φασιν κτλ.*

1) Quam doctrinam qui respiciat praeter Pseudippocratem solum noui Lucretium I 705 sqq:

> Qua propter qui materiem rerum esse putarunt
> ignem atque ex igni summam consistere posse,
> et qui principium gignundis aëra rebus
> constituere, aut umorem qui cumque putarunt
> fingere res ipsum per se, *terramue creare*
> *omnia et in rerum naturas uertier omnis:*
> magno opere a uero longe derrasse uidentur.

καὶ τοῦτο ἓν ἐὸν μεταλλάσσειν τὴν ἰδέην καὶ τὴν δύναμιν, ἀναγκαζόμενον ὑπό τε τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ καὶ γίνεσθαι καὶ γλυκὺ καὶ πικρὸν καὶ λευκὸν καὶ μέλαν καὶ παντοῖόν τι ἄλλο p. 34), ponebant autem sanguinem quidam, alii bilem, nonnulli pituitam (τῶν δὲ ἰητρῶν οἱ μέν τινες λέγουσιν, ὡς ὥνθρωπος αἷμα μοῦνόν ἐστιν, οἱ δ' αὐτῶν χολήν φασιν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, ἔνιοι δέ τινες φλέγμα ibid.).

Thaletis Anaximenis Heracliti doctrinae Empedoclis cesserunt quattuor ῥιζώμασιν, uicit Critiae de sanguine principali sententiam (cf. Aristot. de Anim. p. 405 b 6: ἕτεροι δὲ αἷμα καθάπερ Κριτίας scil. λέγουσι τὴν ψυχήν[1])) nobilissima illa de quattuor humoribus, neque tamen prorsus extinctum erat studium ad unicum principium res redigendi. quod perspicitur e libelli περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς cuius supra mentionem attulimus capitibus prioribus XIX, directis contra eos uiros, qui negligant quidem et de uictus ratione praecepta dare (καὶ αἱ δυνάμιες μεγάλαι τε ἑκάστου (scil. alimenti) καὶ οὐδὲν ἡ ἑτέρη τῇ ἑτέρῃ ἐοικυῖα. ὅστις δὲ ταῦτα οὐκ ἐπέσκεπται ἢ σκεπτόμενος οὐκ οἶδε, πῶς ἄν τι οὗτος δύναιτο τῶν κατὰ τὸν ἄνθρωπον παθημάτων εἰδέναι; p. 600) et de methodo medendi dilucide exponere (cf. p. 604 cap. 15 in.), sed — de morbis quidem quaerere aut nerba facere satis non habentes (cf. p. 572: οὐ γὰρ περὶ ἄλλου τινὸς οὔτε ζητέειν προσήκει οὔτε λέγειν, ἢ περὶ τῶν παθημάτων ὧν αὐτοὶ οὗτοι νοσέουσί τε καὶ πονέουσιν), talia uero proferentes qualia uolgo non capiantur (ibid. μάλιστα δέ μοι δοκέει περὶ ταύτης δεῖν λέγοντα τῆς τέχνης γνωστὰ λέγειν τοῖσι δημότῃσιν) — aut calido frigido sicco humido alio quodam aut duobus eorum, quae quasi fundamenta substruant ratiocinationi suae, hominum corpora pessumdari doceant (ὑπόθεσίν σφισιν αὐτοῖσιν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ θερμὸν ἢ ψυχρὸν ἢ ὑγρὸν ἢ ξηρὸν ἢ ἄλλ' ὅ τι ἂν ἐθέλωσιν ἐς βραχὺ ἄγοντες τὴν ἀρχὴν τῆς αἰτίης τοῖσιν ἀνθρώποισι τῶν νούσων τε καὶ τοῦ θανάτου καὶ πᾶσι τὴν αὐτὴν ἓν ἢ δύο προθέμενοι p. 570).

Quod si corpus Hippocrateum perlustramus, num alia forte insint in tanta diuersae prosapiae farragine eorum scriptorum uestigia quaerentes, unam qui statuerint morborum mortisque

1) Respicit hoc placitum auctor περὶ φύσιος ἀνθρώπου cap. VI: οἱ δὲ λέγοντες ὡς ἓν ἐστιν ὥνθρωπος δοκέουσί μοι ταύτῃ τῇ γνώμῃ κεχρῆσθαι ... ὁρέοντες ἀποσφαζομένους τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὸ αἷμα ῥέον ἐκ τοῦ σώματος, τοῦτο νομίζουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν τῷ ἀνθρώπῳ.

causam, tenemur praecipue oratione περὶ φυσῶν, ad earum sine dubio quas modo impugnatas uidimus scriptionum classem pertinente. conferas modo extremo libro quae leguntur: ὑπεσχόμην δὲ τὸ αἴτιον τῶν νοσημάτων φράσαι ... ἤγαγον δὲ τὸν λόγον ἐπὶ τὰ γνώριμα τῶν ἀρρωστημάτων, ἐν οἷσιν ἀληθὴς ἡ ὑπόθεσις ἐφάνη (VI p. 114 L)[1]), supponitur autem *aer*.

Vetus erat Anaximenis placitum, defensum et amplius excultum a Diogene Apolloniata, rerum primordium esse aera. quo qua ratione usi sint sophistae, luculentum testimonium est 'de uentis' declamatio. sicuti Thales a casca illa opinione mythica de Oceano rerum patre profectus in aqua terram natare demonstrauerat, ipsius principio (τὴν γῆν ἐφ' ὕδατος ἀπεφήνατο εἶναι Ar. Metaph. p. 983 b 21), ita in aera incidit Asianorum tertius, quippe qui cuncta complecteretur (ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει Aët. Plac. I 3). eodem fundamento nititur sophista noster omnia terram inter et caelum spiritus plena esse afferens (ἅπαν γὰρ τὸ μεταξὺ γῆς τε καὶ οὐρανοῦ πνεύματος ἔμπλεόν ἐστιν p. 94). quem quidem omnia permeare exposuerat Diogenes (δοκέει μοι ... ἐν παντὶ ἐνεῖναι. καὶ ἔστιν οὐδὲ ἕν, ὅ τι μὴ μετέχει τούτου apud Simpl. Phys. p. 152, 25 D.), ita ut aqua quoque aer contineatur (Arist. de Respir. p. 471 a 3: ἐκ τοῦ περὶ τὸ στόμα περιεστῶτος ὕδατος ἕλκειν τῷ κενῷ τῷ ἐν τῷ στόματι τὸν ἀέρα ⟨scil. τοὺς ἰχθῦς⟩ ὡς ἐνόντος ἐν τῷ ὕδατι ἀέρος); idem enarrat Pseudippocrates uiuere non posse docens animalia marina, nisi aqua quoque spiritus includeretur (τίνος οὗτος ἅπεστιν; ⟨scil. ὁ ἀήρ⟩ ἢ τίνι οὐ ξυμπάρεστιν; ... ἀλλὰ μὴν ὅτι καὶ τὸ πέλαγος μετέχει πνεύματος, φανερόν· οὐ γὰρ ἄν ποτε τὰ πλωτὰ ζῶα ζῇν ἠδύνατο, μὴ μετέχοντα πνεύματος· μετέχοιεν δὲ πῶς ἂν ἄλλως, ἀλλ' ἢ διὰ τοῦ ὕδατος, κἀκ τοῦ ὕδατος ἕλκοντα τὸν ἠέρα; καὶ μὴν ἥ τε γῆ τούτου βάθρον, οὗτός τε τῆς γῆς ὄχημα[2]), κενεόν τε οὐδέν ἐστιν τούτου p. 94). quid? quod ne eius quidem doctrinae Anaximeneae ab Apolloniata receptae, denso conuenire frigidum, calidum tenui (cf. Plutarch. de primo Frig. II p. 1160 Duebn.; Theophrast. apud Laertium

1) Neque negligenda quae exponuntur περὶ φυσῶν p. 92 L: εἰ γάρ τις εἰδείη τὴν αἰτίην τοῦ νοσήματος, οἷός τ' ἂν εἴη προσφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῷ σώματι ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπιστάμενος τὰ βοηθήματα κτλ., quorum memor fortasse auctor περὶ ἀρχ. ἰητρ. p. 598: τῷ ὑπεναντίῳ προσήκει λῦσαι, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος ἔχει.

2) Cf. de Anaximene Hippolytus Ref. p. 561, 2 Diels: τὴν δὲ γῆν πλατεῖαν εἶναι ἐπ' ἀέρος ὀχουμένην, ὁμοίως δὲ καὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα πάντα πύρινα ὄντα ἐποχεῖσθαι τῷ ἀέρι διὰ πλάτος.

IX 9; Simpl. Phys. p. 153, 6 Diels; Doxogr. p. 432, 32) apud nostrum desunt uestigia (τοῦτο ⟨scil. τὸ πνεῦμα⟩ καὶ χειμῶνος καὶ θέρεος αἴτιον, ἐν μὲν τῷ χειμῶνι πυκνὸν καὶ ψυχρὸν γινόμενον, ἔν τε τῷ θέρει πρηΰ καὶ γαληνόν p. 94), quodque et apud Diogenem et apud auctorem περὶ φυσῶν argumento affertur haec res, quod aere uitali uiuant homines, sine quo ne paruum quidem temporis spatium subsistere queant (cf. Diog. ap. Simpl. p. 152, 18 Diels; Theophr. de Sens. p. 510, 39 Doxogr.; περὶ φυσῶν cap. IV), qua ratione item solem lunam stellas sustineri addit sophista (ἀλλὰ μὴν ἡλίου τε καὶ σελήνης καὶ ἄστρων ὁδὸς διὰ τοῦ πνεύματός ἐστιν· τῷ γὰρ πυρὶ τὸ πνεῦμα τροφή· τοῦ δὲ πνεύματος τὸ πῦρ στερηθὲν οὐκ ἂν δύναιτο ζῆν· ὥστε καὶ τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον ἀένναον ὁ ἀὴρ ἀένναος καὶ λεπτὸς ἐὼν παρέχεται p. 94).

Talia postquam praemisit auctor περὶ φυσῶν, aerem morborum causam esse omnium demonstrandum suscipit (ἐπιδείξω τὰ νοσήματα τούτου ἀπόγονά τε καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα p. 96). capitibus inde a sexto usque ad nonum agit de febribus, de pestilentia scilicet (ὁ κοινὸς ἅπασι καλεόμενος λοιμός), aeris corruptione exoriente, deque eis quae prauae uictus rationi originem debentes nimia aeris multitudine una cum cibis potionibusque in corpus recepta efficiantur. quo modo horrores (φρῖκαι) explicari frigida aeris natura tremoresque (τρόμοι) cum febribus coniuncti itemque sudores (ἱδρῶτες) aeris condensatione (τὸ γὰρ πνεῦμα ξυνιστάμενον ἐς ὕδωρ χεῖται p. 102, quemadmodum uaporem a feruentibus aquis sublatum si solidum quid attingat in guttas uerti) doloresque capitis (πόνοι τῆς κεφαλῆς) in uenas aere inuadente. quo loco de Apolloniatae placitis dissensionem tangamus principalem. statuerat is quoque uenis et sanguinem contineri et aera[1]), sed ipsa anima ei erat aer uisque uitalis, μικρὸν μόριον τοῦ θεοῦ (Theophr. de Sens. 42), cuius admixtione oriri uoluptatem, ademptione tristitiam (ibid.), cuius natura pura siccaque mentem iuuari (qua re fieri, ut dormientes et ebrii ob adiectum humorem

1) Aera uenis concludi quod Diogenes docuerat probauit etiam auctor περὶ ἱερῆς νούσου, nisi egregie fallor περὶ φυσῶν auctore recentior. cf. κατὰ ταύτας δὲ τὰς φλέβας καὶ ἑσαγόμεθα τὸ πουλὺ τοῦ πνεύματος, αὗται γὰρ ἡμέων εἰσὶν ἀναπνοαὶ τοῦ σώματος τὸν ἠέρα ἐς σφᾶς ἕλκουσαι (VI p. 368 L). spiritus autem nisi per corpus mouetur, id quod efficitur pituita de cerebro in uenas confluente, corripiuntur morbo sacro (οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πνεῦμα στῆναι, ἀλλὰ χωρέει ἄνω καὶ κάτω· ἢν γὰρ στῇ που καὶ ἀποληφθῇ, ἀκρατὲς γίνεται ἐκεῖνο τὸ μέρος p. 368, ἐπειδὰν ἀποκλεισθῶσιν αἱ φλέβες τοῦ ἠέρος ὑπὸ τοῦ φλέγματος κτλ. p. 372).

minus saperent, ibid. 44), cuius detractione mortem effici (ἐὰν δὲ ἅπαν τὸ ἀερῶδες ἐκ τῶν φλεβῶν ἐκλίπῃ, θάνατον τυγχάνειν Aët. Plac. V 23, 3). contra auctor περὶ φυσῶν Empedoclem Critiamque secutus sanguini attribuit primas partes cum dicat 'neque enim quidquam magis ad intelligentiam conferre arbitror sanguine' (ἡγεῦμαι δὲ . . . μηδὲν εἶναι μᾶλλον τῶν ἐν τῷ σώματι ξυμβαλλόμενον ἐς φρόνησιν ἢ τὸ αἷμα· τοῦτο δὲ ὅταν μὲν ἐν τῷ καθεστεῶτι μένῃ, μένει καὶ ἡ φρόνησις· ἐξαλλάσσοντος δὲ τοῦ αἵματος μεταπίπτει καὶ ἡ φρόνησις p. 110), quae sententia morbi sacri potissimum exemplo demonstratur aere nimio sanguini admixto orientis (ἐπειδὰν οὖν ἐς τὰς παχείας καὶ πολυαίμους τῶν φλεβῶν πολὺς ἀὴρ βρίσῃ, βρίσας δὲ μένῃ, κωλύεται τὸ αἷμα διεξιέναι p. 112).

Studet igitur medicus noster praeoccupata opinione uaria morborum genera explicare uetustum quid placitum philosophum in usum suum conuertens. neque uero hac sola sapientia diuersus est ab Hippocrate empirica ratione semper quaerente: sophistica imbutum esse se doctrina *scribendi* quoque *genere* luculentissime prodit. quo modo scripserint sophistae minime cum nos fugiat, praeter Aristotelis Anaximenis Dionysii aliorum testimonia quoniam et Platonis extant festiuae Gorgiae Protagorae Prodici Hippiae Poli Agathonis imitationes et ipsorum declamationes nonnullae — Helenae laudationem et Palamedis apologiam affero Gorgiae adscriptas, Vlixis in Palamedem orationem deque sophistis opusculum Alcidamanti, Aiacem et Vlixem Antistheni, quibus accedit Epitaphii Gorgiani, fragmentum satis longum — ex eadem schola profectum esse auctorem περὶ φυσῶν facile agnoscimus.

Aduertit in libello nostro *partitio* perspicua. prooemio postquam de aliis artibus quibusdam ad medicinam transiens, exercentibus quidem laboriosam, utentibus saluberrimam, ea quae manu tractare oporteret facilia fieri exercitatione exposuit sophista (ὅσα μὲν γὰρ χειρουργῆσαι δεῖ, χρὴ ξυνεθισθῆναι· τὸ γὰρ ἔθος τῇσι χερσὶ κάλλιστον διδασκάλιον γίνεται p. 90), difficillima esse quae ratione consequi deberent medici: doctrinae huius reconditioris eam quoque quaestionem esse contendit, quae de *causa* sit morborum deque principio ac fonte corporis malorum (Ἐν δὲ δή τι τῶν τοιούτων ἐστὶ τόδε, τί ποτε τὸ αἴτιόν ἐστι τῶν νούσων καὶ τίς ἀρχὴ καὶ πηγὴ γίνεται τῶν ἐν τῷ σώματι κακῶν p. 92). unam autem esse omnium ad quam exponendam transitur altero capite exeunte: ἔστι δὲ μία ἁπασέων νούσων καὶ ἰδέη καὶ αἰτίη ἡ αὐτή· ταύτην δὲ ἥτις ἐστὶ διὰ τοῦ

μέλλοντος λόγου φράσαι πειρήσομαι (p. 92). atque primum quidem quanta uis sit aeri in mundo uniuerso docemur, quibus absolutis ad animalium corpus se conuertit scriptor cum dicat: διότι μὲν οὖν ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν ὁ ἀὴρ ἔρρωται, εἴρηται· τοῖσι δ' αὖ θνητοῖσιν οὗτος αἴτιος τοῦ τε βίου καὶ τῶν νούσων τοῖσι νοσέουσι (p. 96), eodem modo hoc capite quae protulit concludens proximi initio: ὅτι μὲν οὖν μεγάλη κοινωνίη ἅπασι τοῖσι ζώοισι τοῦ ἠέρος ἐστίν, εἴρηται· μετὰ τοῦτο τοίνυν εὐθέως ῥητέον, ὅτι οὐκ ἄλλοθέν ποθεν εἰκός ἐστι γίνεσθαι τὰς ἀρρωστίας μάλιστα, ἢ ἐντεῦθεν (ibid.). nec non aliis locis nouae cuiusque declamationis particulae argumentum et proponitur et repetitur. cf. περὶ μὲν οὖν ὅλου τοῦ πρήγματος ἀρκέει μοι ταῦτα· μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς αὐτὰ τὰ ἔργα τῷ λόγῳ πορευθεὶς ἐπιδείξω κτλ. p. 96; πρῶτον δὲ ἀπὸ τοῦ κοινοτάτου νοσήματος ἄρξομαι, πυρετοῦ ibid.; αἱ μὲν οὖν δημόσιαί εἰσι τῶν νούσων, εἴρηται .. τὸν δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν γινόμενον πυρετὸν διέξειμί σοι p. 98; τὸ μὲν οὖν αἴτιον τοῦ ὕδρωπος ἤδη εἴρηται p. 110 etc. in epilogo denique totius orationis summam breuiter comprehensam uidemus his uerbis: τὸ δὲ αἴτιον τῶν νούσων ἐὸν τοῦτο ἐπιδέδεικταί μοι. ὑπεσχόμην δὲ τὸ αἴτιον τῶν νοσημάτων φράσαι, ἐπέδειξα δὲ τὸ πνεῦμα καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισι πρήγμασι δυναστεῦον καὶ ἐν τοῖσι σώμασι τῶν ζώων p. 114.

Quam dicendi rationem sophistarum praeceptis debere originem eis exempli gratia oratiunculis firmatur, Gorgiae nomine inscriptae quae aetatem tulerunt. similiter ac de quo agimus libellus a sententia generali incipit Ἑλένης ἐγκώμιον: κόσμος πόλει μὲν εὐανδρία, σώματι δὲ κάλλος, ψυχῇ δὲ σοφία, πράγματι δὲ ἀρετή, λόγῳ δὲ ἀλήθεια κτλ. unde ad argumentum progressus Helenam culpa liberaturum, obtrectatores eius refutaturum esse sese his pronuntiat Gorgias: ἐγὼ δὲ βούλομαι λογισμόν τινα τῷ λόγῳ δοὺς τὴν μὲν κακῶς ἀκούουσαν παῦσαι τῆς αἰτίας, τοὺς δὲ μεμφομένους ψευδομένους ἐπιδεῖξαι (2). iam de genere et forma Helenae postquam disseruit, rem suscipit tractandam: ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ μέλλοντος λόγου προβήσομαι, καὶ προθήσομαι τὰς αἰτίας δι' ἃς εἰκὸς ἦν γενέσθαι τὸν τῆς Ἑλένης εἰς τὴν Τροίαν στόλον (5). ponit causas quattuor Leontinus: aut fortunae uoluntate deorum consilio necessitatis lege coacta Paridi se dedidit Helena, aut ui rapta est, aut uerbis irretita, aut amore capta. quas ad amussim persequitur rhetor: cf. εἰ μὲν οὖν διὰ τὸ πρῶτον .. (6), εἰ δὲ βίᾳ ἡρπάσθη .. (7), εἰ δὲ λόγος ὁ πείσας .. (8), καὶ ὅτι μέν, εἰ λόγῳ ἐπείσθη, οὐκ ἠδίκησεν ἀλλ' ἠτύχησεν, εἴρηται· τὴν δὲ τετάρτην αἰτίαν τῷ τετάρτῳ λόγῳ διέξειμι (15), iterum complectitur in epilogo. eadem perspicuitate Palamedis apologia, eadem Agathonis in Conuiuio Platonico Amoris laudatio (cf. Blass, attische beredsamkeit I p. 77), qua urbane hanc partiendi consuetudinem carpit Plato: (ἐγὼ δὲ δὴ βούλομαι πρῶτον μὲν εἰπεῖν ὡς χρή με εἰπεῖν, ἔπειτα εἰπεῖν p. 194 E, οὕτω δὴ τὸν Ἔρωτα καὶ ἡμᾶς δίκαιον ἐπαινέσαι πρῶτον αὐτὸν οἷός ἐστιν, ἔπειτα τὰς δόσεις p. 195 A).

Inuenitur praeterea in libro Pseudippocrateo poeticus interdum dicendi color, inuenitur denique schematum Gorgianorum quae dicuntur copia maxima. atque poetam quidem decent talia: ὁ μὲν γὰρ ἰητρὸς ... ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας p. 90, πᾶσι γὰρ τούτοισιν ἄντικρυς ἰητρικὴ εὑρίσκεται ἀκεστορίς p. 90, ὅταν οὖν πολὺς ἀὴρ ἰσχυρὸν τὸ ῥεῦμα ποιήσῃ, τά τε δένδρεα ἀνασπαστὰ πρόρριζα γίνεται διὰ τὴν βίην τοῦ πνεύματος τό τε πέλαγος κυμαίνεται ὁλκάδες τε ἄπειροι τῷ μεγέθει ἐς ὕψος διαρριπτεῦνται p. 94, τὸ αἷμα φοβέομενον τὴν παρεοῦσαν φρίκην ξυντρέχει p. 100, πολὺς ἀὴρ ... ἐξεμόχλευσε .. τὸ στόμα p. 102, ὁκόταν γοῦν ... χαραδρωθέωσιν οἱ πόροι p. 106. sermo omnino rhythmicus, adeo haud raro uersus paene exciderunt scriptori, maxime in prooemio. audi iambica haec: εἰσί(ν) τινες τῶν τεχνέων αἳ τοῖσι μὲν .. καὶ τοῖσι μὲν ἰδιώτῃσι(ν) ξυνὸν ἀγαθόν; τῶν δὴ τοιουτέων ἐστὶ τεχνέων καὶ ἣν ..; ὁρῇ τε δεινά, θιγγάνει τ' ἀηδέων[1]); ταύτης δὲ τῆς τέχνης τὰ μὲν φλαυρὰ χαλεπόν; καὶ οὐ τοῖσιν ἰδιώτῃσιν· οὐ γὰρ σώματος .. p. 90; καὶ σταγόνες ἀποπίπτουσιν ἀπὸ τῶν πωμάτων p. 102; πάντων | γὰρ τῶν τοιούτων αἰτίη τοῦ πνεύματος | ἡ διόδευσις; διεξιοῦσαι τοὺς πόρους τοῦ σώματος p. 108. annectitur trochaicus trimetrus catalecticus senario, ita ut rhythmus tranquillior sensui bene conueniat, p. 104: διέρχεται τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ σώματος | ὥστε παῦλάν τινα γενέσθαι τῶν πόνων.

1) Quid? quod haec uerba apud Eusebium exscripta in oratione Paulini Tyriorum episcopi, de Christo disserentis (Hist. eccles. X 4), poetae cuidam tragico attribuit Valesius (annotatt. p. 171 ed. Paris. 1678). conformat locum hoc modo:

τῆς τῶν καμόντων εἵνεκεν σωτηρίας
ὁρᾷ τὰ δεινά, θιγγάνει δ' ἀηδέων·
ἀλλοτρίοις τε συμφορῇσιν ἰδίας
. . . . . καρποῦται λύπας,

adicit: 'qui uersus sine dubio elegantissimi sunt et Aeschylum aut Sophoclem redolent'!

nec non aliorum rhythmorum uestigia facile expisceris, ut anapaestica haec: ἀπὸ μὲν πλεόνων καὶ ψυχροτέρων ἰσχυρότερον p. 100; ὁκόσοι μὲν ἂν εἴλεοὶ εἶεν; φύσας εἶναι αἴτια ἅπασιν p. 104; creticam: ἐκ|θλίβεται· | τοῦτο δὴ | τὸ ὑγρὸν ὅταν | ἀθροισθῇ, | ῥεῖ δι' ἄλ|λων πόρων p. 104. figuras a Gorgia inuentas, contraria scilicet contrariis relata (ἀντίθετα), paria paribus adiuncta (πάρισα), similiter definita (παρόμοια), ut Ciceronis uerbis utar (Orat. 52, 175), et a discipulis eius adhibitas esse intemperatius, Polo e. gr. et Licymnio (cf. Dion. Hal. de Thucyd. 24), neque a Thucydide spretas (cf. Marcellin. 36 ἐξήλωσε δὲ ἐπ' ὀλίγον ὥς φησιν Ἄντυλλος καὶ τὰς Γοργίου τοῦ Λεοντίνου παρισώσεις καὶ τὰς ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων) notum est. quae quantum imposuerint hominibus et Agathonis exemplo discere licet (εἰπόντος δὲ τοῦ Ἀγάθωνος πάντας ἔφη ὁ Ἀριστόδημος ἀναθορυβῆσαι τοὺς παρόντας, ὡς πρεπόντως τοῦ νεανίσκου εἰρηκότος καὶ αὐτῷ καὶ τῷ θεῷ Symp. p. 198 A) et praeter alia Isocratis testimoniis (Paneg. 2 qui memorat τοὺς γέμοντας οὐκ ὀλίγων ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν), a Theophrasto παιδιώδεις nominatae et ἀπρεπεῖς (Dion. Hal. de Lys. 14), μειρακιώδεις a Dionysio Halicarnassensi (de Isocr. 15).

Afferemus primo loco contrapositorum exempla e libello περὶ φυσῶν: ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν | ἰδίας καρποῦται λύπας; τὰ μὲν φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι, | τὰ δὲ σπουδαῖα ῥηΐδιον p. 90; ὁ δὲ τοῦτ' ἄριστα ποιέων ἄριστος ἰητρός· | ὁ δὲ τούτου πλεῖστον ἀπηλλαγμένος πλεῖστον ἀπήλλακται καὶ τῆς τέχνης p. 92; πνεύματα δὲ τὰ μὲν ἐν τοῖσι σώμασι φῦσαι καλέονται, | τὰ δὲ ἔξω τῶν σωμάτων ἀήρ; ἐν μὲν τῷ χειμῶνι πυκνὸν καὶ ψυχρὸν γινόμενον, | ἐν δὲ τῷ θέρει πρηΰ καὶ γαληνόν p. 94; τοῖσι δ' αὖ θνητοῖσιν οὗτος αἴτιος τοῦ τε βίου | καὶ τῶν νούσων τοῖσι νοσέουσι p. 96. quorum membra sunt paria, contraposita haec sunt: τοῖσι μὲν ἰδιώτῃσι ξυνὸν ἀγαθόν | , τοῖσι δὲ μεταχειριζομένοισί σφας λυπηραί; ὁρῇ τε δεινὰ | θιγγάνει τε ἀηδέων p. 90; δίψαν ἔπαυσε πόσις | . . πλησμονὴν ἰῆται κένωσις, | κένωσιν δὲ πλησμονή· | πόνον δὲ ἀπονίη, | ἀπονίην δὲ πόνος; p. 92. ἥ τε γῆ τούτου βάθρον, | οὗτός τε τῆς γῆς ὄχημα p. 94. luditur agnominationibus his locis: διαφέρει δὲ ἐν αὐτοῖσι πλεῖστον ἡ πείρη τῆς ἀπειρίης p. 90; τίνος οὗτος ἄπεστιν; ἢ τίνι οὐ ξυμπάρεστιν; οὐ γὰρ ἄν ποτε τὰ πλωτὰ ζῷα ζῇν ἠδύνατο p. 94; τοτὲ μὲν

ἐμπνέοντα, τοτὲ δὲ ἐκπνέοντα; ἐπιδείξω τὰ νοσήματα τούτου ἀπόγονά τε καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα p. 96; quibus cognata talia: διὰ τὴν ἀλλοιότητα καὶ ἀνομοιότητα τῶν τόπων p. 92; ἄνεμος γάρ ἐστιν ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα p. 94; πέπληνται γὰρ αἱ φλέβες ἠέρος, πλησθεῖσαι δὲ καὶ πρησθεῖσαι τὸν πόνον ἐμποιέουσιν ἐν τῇ κεφαλῇ p. 102. antithesin una uides cum soni ludicro p. 90: οὐ γὰρ σώματος, ἀλλὰ γνώμης ἐστὶν ἔργα; iuncta denique continentur tria Gorgiae schemata his locis: εἰσί τινες τῶν τεχνέων, αἳ τοῖσι μὲν κεκτημένοισίν εἰσιν ἐπίπονοι, | τοῖσι δὲ χρεομένοισιν ὀνηΐσταί p. 90; ἰητρικὴ γάρ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, | πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων; τῶν δὲ δὴ νούσων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτός, | ὁ δὲ τόπος διαφέρει p. 92; τῇ μὲν ὄψει ἀφανής, | τῷ δὲ λογισμῷ φανερός p. 94. quibus artificiis si addimus asyndeta (cf. οἱ δὲ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν διὰ τὴν τέχνην· νούσων, πόνων, λύπης, θανάτου p. 90) atque parechesin (τὰ γὰρ σώματα . . . ὑπὸ τρισσέων τροφῶν τρέφεται; ἔστι δὲ τῇσι τροφῇσι ταύτῃσι ταῦτα τὰ οὐνόματα p. 92), satis iam scribendi genus libelli nostri uidetur illustratum.

II.

Qua ratione ueterum physicorum placitis usi sint sophistae de medicina disserentes quoque modo scripserint, exemplo manifestum. amplius perspicitur disputationum materia e libelli περὶ νούσων α' capp. 1—10, quibus de morborum curatione et recte quaerere uolentibus et quaerenti respondere et obiecta impugnare praecepta dantur (ὃς ἂν περὶ ἰήσιος ἐθέλῃ ἐρωτᾶν τε ὀρθῶς καὶ ἐρωτῶντι ἀποκρίνεσθαι καὶ ἀντιλέγειν ὀρθῶς, ἐνθυμέεσθαι χρὴ τάδε VI p. 140 L). praecipitur de rebus octo: unde accidant hominibus omnes morbi (cap. 2); quae necessarie eueniant in morbis bona malaque (cap. 3. 4 ὁκόσα ἀνάγκας ἔχει τῶν νοσημάτων); docetur de eis quae opportuna (cap. 5 καιροί); quae peccentur in curationibus quaeque recte agantur cap. 6; forte fortuna quae et per se accidant (τὰ δὲ τοιάδε ἀνθρώποισιν ἀπὸ ταὐτομάτου ἐν τῇσι νούσοισι γίνεται καὶ ἀγαθὰ καὶ κακά cap. 7) et medicis contingant (ἐπιτυχίῃ δὲ τὰ τοιάδε οἱ ἰητροὶ ποιέουσιν ἐν τῇ θεραπείῃ cap. 8); proximis denique duo-

bus et artis medicae nullum esse principium breuiter exponitur dicendi agendiue aut medium aut finis, et pauca afferuntur de dexteritate chirurgica (*εὐχειρίη*). continetur igitur his capitibus *ars medica*, in disputationum sophisticarum usum composita, cui cum Anaximenis e. gr. quae perhibetur arte rhetorica id commune est, quod capite quidem praecedente breuiter indicantur argumenta, in fronte autem insequentium uerbo significantur (cf. Anax. p. 192, 15 Sp; *εἰκός* 192, 23. *παραδείγματα* 195, 7. *τεκμήρια* 197, 18. *ἐνθυμήματα* 197, 27. *γνώμη* 198, 12. *σημεῖον* 199, 12. *ἔλεγχος* 199, 29).

Extat uero in collectione scriptio, qua uti quomodo soliti sint talibus praeceptis intelligitur: *περὶ τέχνης* dico declamatiunculam. non tam aegrotantium saluti consulit auctor *περὶ νούσων α'*, quam ut commode de morbis dicendi compotes reddat discipulos contradicendique aliorum orationibus quaestionibus responsis (*ταῦτα ἐνθυμηθέντα διαφυλάσσειν δεῖ ἐν τοῖσι λόγοισιν· ὅ τι ἂν δέ τις τούτων ἁμαρτάνῃ ἢ λέγων ἢ ἐρωτῶν ἢ ἀποκρινόμενος . . ., ταῦτα φυλάσσοντα χρὴ ἐπιτίθεσθαι ἐν τῇ ἀντιλογίῃ* p. 142), quod dum reputas, Protagoram scripsisse recordare *ἀντιλογιῶν δύο* (Diog. Laert. IX 55), Platonem haec professum de sophistae arte: *ἓν γάρ τί μοι μάλιστα κατεφάνη αὐτὸν μηνῦον . . ἀντιλογικὸν αὐτὸν ἔφαμεν εἶναί που* (Soph. p. 232 B). impugnat auctor *περὶ τέχνης* medicinae obtrectatores, non existere artem sed forte fortuna sanos fieri homines conuiciantes.

Quem ad libellum aditum debemus aperire nobis Ermeriusii sententia recensenda, artissimam ei cum aliis collectionis opusculis duobus esse cognationem statuentis. coniungi enim debere eum cum Lege (*νόμος*) itemque cum libro de uetere Medicina, utpote quae scripta tria 'summatim ad unam *ἀπολογίαν τῆς ἰητρικῆς* spectent'; qua ratione permotus eo processit editor, ut ea deinceps nullo interstitio relicto imprimeret ita quidem, ut Legi primum, de prisca Medicina commentationi postremum locum attribueret, mediae parti inscriptionem a librariis praefixam esse putaret *περὶ τέχνης* (uol. I p. XIV, II p. XVII sqq.).

Quod si argumenta Bataui pendemus, triplicis ea generis esse uidebimus, petita uidelicet e codicum testimoniis, scribendi similitudine, locis nonnullis inter se necessitudine quadam coniunctis.

Atque *de librorum ordine* in codd. mss. seruato breuiter disputans in plerisque quibus usus sit Littreus itemque in Vossiano et Marciano ita dispositos extare monet de quibus agimus libellos,

ut Legem excipiat de Arte opusculum, porro consequatur de prisca Medicina. quaeritur, huic collocationi quae fides sit habenda. *πίνακας* extitisse operum Hippocraticorum temporibus antiquis ut credamus, non opus est diserto Galeni testimonio, de scriptione *περὶ ἀδένων οὐλομελίης* tradentis: *οὐ μὴν οὐδὲ ἐμνημόνευσέ τις περὶ αὐτοῦ τῶν ἔμπροσθεν ἰατρῶν, ἀλλ' οὐδ' οἱ τοὺς πίνακας ποιήσαντες ἴσασι τὸ βιβλίον* (XVIII A p. 379 K). quorum num aetatem tulerint reliquiae lexicographos peruestiganti splendidum spei lumen non arridebit. legitur quidem in ea, uocum Hippocraticarum collectioni Erotianus quam praemisit, praefatione, praestanti memoria conspicua, primariorum Coi operum enumeratio, sed quam ab ipso Andromachi archiatri amico digestam non esse cur sumamus perspicere nequeo. haec enim postquam praemisit Erotianus: *ὅθεν καὶ ἐπὶ τῶν ἀληθῶν κομιζομένων συνταγμάτων ἔστι μὲν ἃ σημειωτικά, ἃ δὲ φυσικὰ καὶ αἰτιολογικά, ἃ δὲ θεραπευτικά· καὶ τῶν θεραπευτικῶν ἃ μὲν διαιτητικά, ἃ δὲ χειρουργούμενα καὶ πάντως μικτά, ἔνια δ' εἰς τὸν περὶ τέχνης συντείνοντα λόγον· δίκαιον ἡγοῦμαι προϊστορήσας τὸν τῶν βιβλίων ἀριθμὸν τηνικαῦτα ἐπὶ τὴν τῶν λέξεων ἀνάπλωσιν ἥκειν* (p. 36 Kl.), librorum titulos enumerat triginta unius, eis quas apposui classibus distributorum. minus etiam prospere res cedet in Suida, more suo in describendis titulis segniore. praebet ille haec tantummodo: *πλὴν τῶν ἐν πρώτοις καὶ ἡμεῖς ἀπομνημονεύσωμεν· πρώτη μὲν οὖν βίβλος ἡ τὸν Ὅρκον περιέχουσα· δευτέρα δὲ ἡ τὰς Προγνώσεις ἐμφαίνουσα· τρίτη ἡ τῶν Ἀφορισμῶν, ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνουσα σύνεσιν· τετάρτην τάξιν ἐχέτω ἡ πολυθρύλητος καὶ πολυθαύμαστος Ἑξηκοντάβιβλος, ἡ πᾶσαν ἰατρικὴν ἐπιστήμην τε καὶ σοφίαν ἐμπεριέχουσα* (s. u. *Ἱπποκρ.*). sed de Suida quid querimur, in hac re quomodo egerit luculentis Aristotelis et Theophrasti exemplis edocti? etenim nisi fata dedissent, ut non solum Hesychianum Aristotelis indicem exhiberet anonymus Menagianus (cf. Val. Rose: de Aristot. libr. ord. p. 48 sqq.; Aristot. pseudepigr. p. 18 sqq.), sed amplius etiam Diogenis Laertii sedulitate liceret, ut et Andronicus Rhodius Ciceronis aetate quam confecit Aristotelis librorum tabulam, Hermippi Callimachei philosophorum uitis usus[1]), et quas Hermippus ex Alexandrinae bibliothecae catalogis descripsit Theophrasteas[2]), hodie

1) Cf. VRose: de Ar. libr. ord. p. 50; Ar. pseud. p. 4 sqq; JBernays: die dialoge des Aristot. p. 133 sqq. EHeitz: die verlorenen schriften des Aristot. q. 8 sqq.

2) HVsener: Anal. Theophr. p. 22 sqq.

inspiceremus, — ad Suidam relegati quibus in fragmentis digerendis uteremur indices frustra quaereremus; Aristotelis enim titulos afferre omnino supersedit, Theophrasti quinque de indicis initio desumpsit, de memoria adiciens quattuor.

At circumspice, num suppleri forte possit manca Suidae tabula quam e praestanti fonte haustam esse cum aliorum, tum ipsius Theophrasti quod memorauimus exemplo comprobatur. perlustremus codices Hippocrateos, indicum praepositorum rationem operumque ipsorum ordinem perpendentes. quo in negotio totum corpus duplici serie tradi statim animaduertemus, Parisinum 2253 A antiquissimum si excipias, undecim tantummodo scripta continentem, cuius singularis est condicio. primae classis, cui maxima codicum pars annumeranda, agmen ducunt Parisini 2255 et 2254, saeculo XIV eadem manu scripti, quorum coniunctione exhibentur cuncta collectionis quae nobis manserunt opera. extat in fronte utriusque index accuratissimus (ὅπως ἂν εὐχερῶς εὕροι τις τὰς παρ' αὐτῷ (scil. Ἱπποκρ.) ἀσθενειῶν φυσικάς τε καὶ διαιτητικὰς μεθόδους) tomi prioris XL, posterioris XXIX libellos complectens. quorum ordinem si reputo, nonnullos quidem argumentorum cognatione iunctos agnosco, totius dispositionis ratio me fugit excepto exordio, de quo infra. reliqua codicum huius prosapiae moles (sunt autem praeter Marcianum 269, Vaticanos 277 et Vrb. 68, Laurentianum 74, 1 Parisini 2144, 2141, 2140, 2143, 2145, 2142 alii nonnulli pauca continentes) secernitur hac re, quod unanimo in ea consensu omittuntur libri duodecim (περὶ ἰητροῦ, περὶ σαρκῶν, περὶ ὀδοντοφυΐας, περὶ ἀνατομῆς, περὶ καρδίης, περὶ ἀδένων, περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, περὶ ἀέρων ὑδάτων τε καὶ τόπων, περὶ ὑγρῶν χρήσιος, περὶ κρίσεως; porro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, περὶ προγνώσεως ἑτῶν). classis alterius exemplaria numero pauciora. noui eorum Vaticanum 276 membranaceum in fol. foliorum 207 saeculi XII, quocum cognati et Littrei 2146 et Vatic. Palat. 192 chartaceus s. XVI. longe alio modo in eis sese excipiunt libri singuli. occurrunt quidem concordantia, ut e. gr. in utraque classi deinceps ponuntur: περὶ ἐπικυήσιος, περὶ ἑπταμήνου, περὶ ὀκταμήνου, περὶ παρθενίων, περὶ γυναικείης φύσιος, sed haec ita comparata sunt, ut argumentorum similitudine contineri uideantur, minime indicum prodant affinitatem. praemittitur autem textui Hippocrateo et in Vaticano et in exemplari Parisino πίναξ nalde notabilis (cf. Littr. I p. 529 sq. X p. LIX sq.). qui a librario confectus non esse uidetur. nimirum inde quamquam nihil concludo, post προγνωστικὸν in codice quidem quod leguntur γνῶμαι ἢ περὶ πτισάνης,

κατ' ἰητρεῖον in indice — neque enim aliter dispositum[1]), sed omissum esse statuendum est opus περὶ πτισάνης siue περὶ διαίτης ὀξέων in tabula —, hoc scrupulum tibi mouebit, in extrema codicis parte qui extent libellos septem (περὶ ἰητροῦ, περὶ κρίσεων, περὶ κραδίης, περὶ σαρκῶν, περὶ ἀδένων οὐλομελίης, περὶ ἀνατομῆς, ἐπιστολαί) dispositione legi indicatae non respondente. grauius accedit, quod dimidius numerus tabulae operum in codice calamo exarata non inest, inter quae id potissimum animaduersione dignum, cuius interitum dolemus, Erotiani Galenique testimoniis olim collectioni ascriptum, librum dico περὶ τρωμάτων καὶ βελῶν (cf. Erot. p. 36. 49 Kl.), duobus titulis in catalogo nostro quod significatur: περὶ τρωμάτων ὀλεθρίων et περὶ βελῶν ἐξαιρήσιος. iam exordium huius indicis cum respicimus, cum eis ex Suida quae exscripsimus similitudo nos fugere nequit (cf. Littré I p. 530). primo loco memorauit ille ὅρκον, secundo προγνώσεις, tertio aphorismos, quarto τὴν ἑξηκοντάβιβλον, incipit catalogus hoc modo: τάδε ἔνεστι· βιβλίον α' ὅρκος. — β' νόμος. — γ' ἀφορισμοί. — δ' προγνωστικόν. paene illicimur in coniecturam, in catalogo tenere nos ut credamus Suidae fontem. e dis exordium in utroque, νόμον, V tantum capitula breuissima complectentem, omisit Suidas primaria referens (τῶν ἐν πρώτοις καὶ ἡμεῖς ἀπομνημονεύσωμεν), Aphorismorum et Prognostici ordinem inuertit. quae coniectura certo tamen caret fundamento. nimirum similis primorum libellorum dispositio in aliis quoque catalogis occurrit, quibus cum Suida nihil commune esse constat. ut ὅρκος praeter primam codicum de qua narrauimus classem (cf. Paris. 2255) primo loco inuenitur etiam in eo indice latino, e codice Bruxellensi s. XII quem protraxit Darembergius ('in suis libris primus est liber Iuramentum quem graece Horcon appellamus' cf. Henschelii Ianus 1847 p. 475), idem Aphorismis iunctum in fronte enumerationis legitur in Hippocratis codice arabico, de quo rettulit Casirius in Bibliotheca arabico-hisp. Escur. I p. 236; Abulfaragius denique de Hippocrate agens in Historia dynastarum 'sunt autem e libris' inquit 'quos composuit Aphorismi, i. e. Sectiones, Liber Prognosticorum, i. e. Praemissorum scientiae eqs.' (p. 55 uersionis Pocockianae). neque id mirum. Iusiurandum enim eam ob causam initio

1) Suspicio ne tibi exoriatur, latere opus περὶ διαίτης ὀξέων, quippe quod et in nostro codice inscribatur γνῶμαι ἢ περὶ πτισάνης et in aliis multis πρὸς τὰς Κνιδίας γνώμας, 'liber sententiarum' nocatum a Caelio Aureliano (cf. Littr. II p. 224. 529, Ermer. I p. 287), sub titulo περὶ γνώμης, in calce indicis obuio: aperte hunc corruptum esse moneo ex περὶ ἀνατομῆς.

collectionis positum esse manifestum est, ut pulcherrimo illo sinceritatis antiquae monumento ad religiosum corporis Hippocratici studium rite praepararentur legentium animi, Aphorismi et Prognosticum operum Hippocrateorum longe fuerunt notissima, id quod e codicum multitudine satis dilucide perspicitur.[1]) sed siue conexum intercedere suspicamur inter Suidam et catalogum Vaticanum, siue dubitamus, parum caute e codicum natura argumentum petiisse Ermerinsium constat. neque enim ulla causa monemur, ut classis prioris indicem, Parisinorum scilicet 2255 et 2254, in quo post Iusiurandum eodem quod Erotianum secutum esse uidimus consilio *τὰ εἰς τὸν περὶ τέχνης τείνοντα λόγον* componentem sese excipiunt *νόμος*, *περὶ τέχνης*, *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς*, *παραγγελίαι*, *περὶ εὐσχημοσύνης*, ad prima Alexandrinorum tempora referamus: contra uero in catalogo Vaticano, ualde quem antiquum esse leuis est suspicio, horum librorum ordo prorsus est diuersus, utpote *νόμον* qui exhibeat secundo loco, *περὶ τέχνης* libellum quinquagensimo quinto, *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* quinquagensimo quarto.

Transimus ad *scribendi genus* trium quae tractamus opusculorum comparandum. quem locum sicut antecedentem obiter strinxit Ermerinsius. satis enim habuit Legis duos, posteriorum librorum singulos locos afferre, e quibus appareret, horum libellorum sermonem, tumidum quem uocat, fucosum ampullisque refertum, non modo ab Hippocratis simplici integraque scribendi ratione summopere diuersum esse, sed 'unum hominem eumque certo certius rhetora et sophistam' prodere.

De librorum Hippocrateorum sermone unus quantum scio uberiora docuit HKuehleweinus in dissertatione cui titulum praeposuit: 'Obseruationes de usu particularum in libris qui uulgo Hippocratis nomine circumferuntur' (Gotting. 1870). congessit is e libellis notabilioribus, quaecunque ad usum particularum et aduersatiuarum et copulatiuarum et aliarum quarundam accurate cognoscendum conferrent neque nullum rettulit laboris assidui fructum. atque animaduertit quidem uir Hippocratis studiosissimus, de quibus agimus opusculorum trium singularem esse condicionem, congruentium saepissime cum libro *περὶ διαίτης ὀξέων*, a libris *περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων* et *περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων* discrepantium (cf. p. 9. 72. 76. 94); quoad uero inter se concordent aut uarient, adhuc latet.

E dialecti diuersitate calculum peti posse facile opineris. tan-

1) Prognostici quadraginta circiter aetatem tulerunt codices, plures adhuc Aphorismorum (cf. Kuehlewein. Herm. XVIII p. 17).

tum enim aberat, ut apud scriptores Iade usos unus dicendi staret color, ut non solum inter se discreparent singuli (id quod de Herodoto et Hippocrate iam ueteres[1]) senserunt), sed ne eundem quidem in operibus diuersis sibi constitisse cerni posset Ctesiae exemplo.[2]) quibus scribendi generibus num responderint quodammodo quattuor illi Iadis *τρόποι* uel *χαρακτῆρες* ab Herodoto enumerati (I 142), de quorum natura docemur nonnulla in titulo Chio nuper reperto (HRoehl, Inscr. graecae antiquiss. n. 381), ualde dubito — hoc ueri simillimum uidebitur originem collectionis consideranti, non conscriptam eam fuisse dialecto prorsus eadem, sed eos sequiorum temporum medicos, qui Hippocratem sibi proposuissent imitandum, non semper exemplar assecutos formas adhibuisse interdum, quas aut apud alios Iadis scriptores legissent aut Ionicas esse falso sibi persuasissent, qua re concessum esset fortasse, temporum nisi nocuisset inuidia, ut non solum scripta uere Hippocratea multo facilius secerneremus a spuriis, uerum etiam pseudepigraphorum auctores diuersos dignosceremus. fuerunt quidem antiquis temporibus, quibus dialectus Hippocratica curae erat. ut eos, qui commentarios et glossaria confecerint, etiam quaestiones dialecticas attigisse Erotiani Galenique exemplis confirmatur. curabant autem ei non tam formas grammaticas, quam singularum uocum siue cum sermone Attico, siue cum dialectis Ionica et Dorica conexionem. ita apud Erotianum passim legitur interpretationi adiectum: *Ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις, ἰδίως οἱ Ἀττικοὶ λέγουσιν, παρ' Ἀττικοῖς οὕτως ὀνομάζεται* similia, habes glossas Doricas s. u. *ἀνακῶς*, *κίθαρος*, *φῷδες* alias, Ionicam s. u. *ἀλλοφάσσοντες* e Xenocrito Coo, primo Hippocratis uocum obsoletarum interprete, desumptam. praeter medicinam philosophiamque et arti grammaticae operam dedisse Galenum ex ipsius libellis discimus, quos inscripsit *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων πρὸς Εὐγενιανόν* (XIX p. 49 sqq. K) et *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* (XIX p. 8 sqq.). quorum studiorum in Atticis potissimum scriptoribus, imprimis comicis, positorum uestigia haud pauca nobis manserunt in commentariis et in lexico (*Γαληνοῦ τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις* XIX p. 62 sqq. K). multitudine colligenti notabilia Atticae doctrinae fragmenta, id quod congruit cum titulorum numero. Doridis propria esse nonnulla monentem repperi

1) Cf. Bachmanni Anecdot. II p. 367: *ὃς* (scil. *ὁ Ἱππ.*) *ἀκράτῳ τῇ Ἰάδι χρῆται· ὁ γὰρ Ἡρόδοτος συμμίσγει αὐτὴν τῇ ποιητικῇ.*

2) Phot. (p. 45a 7. 20 Bekk.) *κέχρηται δὲ τῇ Ἰωνικῇ διαλέκτῳ, εἰ καὶ μὴ δι' ὅλου καθάπερ Ἡρόδοτος, ἀλλὰ κατ' ἐνίας τινὰς λέξεις. ἀνεγνώσθη δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ Ἰνδικὰ ἐν ἑνὶ βιβλίῳ, ἐν οἷς μᾶλλον ἰωνίζει.*

in lexico, Zenodoto auctore *ἐν ταῖς ἐθνικαῖς λέξεσι* (cf. e. gr. s. u. *πέζαι*, *πέλλα* XIX p. 129 K). de patria dialecto, Graecorum scilicet Asianorum, ipse testatur Pergamenus XV p. 554, XVIII B p. 590, annumerat Coam XVII A 929, XVIII A 438. 469. Ionicas non solum uoces[1]), sed etiam formas saepe respicit interpres. atque illud quidem cum studiis Galeni optime congruit, de nominibus Ionicis scripturum esse sese fere promittentis VIII p. 635: hoc mireris, cum fuse exponentem audieris eum, tales quaestiunculas philologicas quam acerbe despiciat, hoc modo: *ἅπαξ εἰπεῖν τινα κοινὸν λόγον ἐπὶ κοινῷ πράγματι διέγνωκα, τῶν δὲ ἀναγνωσομένων ἑκάστῳ κατὰ τὴν οἰκείαν διάλεκτον ὅπως ἂν ἑαυτὸν πείσει γράφειν ἐξέστω. τινὲς μὲν γὰρ ὅσῃσι διὰ τριῶν συλλαβῶν, ἔνιοι δὲ ὁκόσῃσι διὰ τεσσάρων ἔγραψαν κτλ.* (XVII A 798). sed pronuntiat haec artem spectans, in qua nil ualent ionismi, sicuti simili ratione in Atticistas acriter inuehitur VI p. 584 (cf. XIX 60 sq. 48): *ἄμεινον γάρ ἐστι τῇ φωνῇ μᾶλλον ἢ τῷ βίῳ σολοικίζειν τε καὶ βαρβαρίζειν.* quid? quod eum libello peculiari de dialecto Hippocratea quae sentiret exposuisse comperimus XVIII B p. 322.[2]) qui cum aetatem non tulerit, formas grammaticas quod attinet, ad exilia relegamur testimonia distincta, in lutulento operum Galenianorum flumine natantia, unde nihil amplius docemur, nisi: *ἐόν*, *κρήσιος*, *ὑποφάσιες*, *εὐσταθέα*, *τρώματα*, *φλάσματα*, *ὅκου* esse scribenda, pueris nota. 'at nihil lucri e textu Hippocrateo, singulis commentariorum capitibus praemisso, nihil e locis exscriptis innumerabilibus?' suscipi profecto debebit aliquando Galeni testimoniorum cum Hippocratis codicum textu comparatio, uti, qualis eius saeculo post Chr. n. altero condicio fuerit, constituatur: sed tum demum certo fundamento nitemur hac in re, cum ad librorum mss. fidem recensita tenebimus Galeni opera, quod quo tempore futurum sit, *θεῶν ἐν γούνασι.* iam uero licet factum sit: de uocabulorum formis ne ea quidem collectionis recensione, quam lectitabat Galenus, restituta multum noui comperturos nos persuasum habeo. obstaret in locis afferendis Galeni negligentia, quorum haud paucos e memoria fudisse uidetur, magis obstaret,

1) Vide quae referat Galenus de uocibus: *σίνειν σίνεα σινόμορα* (XV 662), *στεννυγρός* (XVII A 896 sq.), *ἄμβη* (XVIII A 340), *τρώματα* (XVIII A 443), *μετεξέτερος* (XVIII A 599), *φαῦλος* (XVIII B 403), *ἑλινύειν* (XVIII B 404), *πλήμνη* (XVIII B 479), *ὅκως* (XVIII B 669), uel de *μετά* praepositione *ἐλλειπτικῶς* adhibita (XV 710).

2) Quo loco de uariis scripturis *ἐχρῆν* et *χρῆν* disserens *ἐμοὶ δέ* inquit *καθ' ἕτερον ἰδίᾳ γράμμα μικρὸν ἃ φρονῶ περὶ τῆς Ἱπποκράτους διαλέκτου δεδήλωται.*

quod ne ipsi quidem ad puros fontes ascendere licebat. praeberet sane limpidiora Capitone et Dioscoride, quos cum alias scripturas ueteres, tum dialectum pessumdedisse tradit, sed quam exigua eius in talibus rebus sit fides, inde elucet, quod haud raro apud eum offendunt formae Pseudionicae. etenim primo quidem aspectu non habemus, cur iam ante Galenum Iadi intrusa esse putemus talia codicum Hippocrateorum monstra: *αὐγέης* III p. 278 L, *πηχέει* IV p. 202, *βηχέων* III p. 334, IV p. 540, *ῥινέων* I p. 614, VIII p. 84, IX p. 278. 286, *σαρκέων* III p. 242, IV p. 80, *ὑμενέων* IX p. 90, *χειρέων* III p. 420. 462, VIII p. 92. 234. 488, IX p. 236, *εὐσταλέως* IV p. 340, *κρεσσέων* IX p. 110, *ὑπερβαλλέιν* IV p. 92 (cf. Kuehneri gramm. gr. I p. 605), *ἀειρέειν* VIII p. 236, *ἑλκεωθῶσι* VIII p. 96, *εὑρέαται* (sing.) II p. 226, *εἰρέαται* ibid. p. 362, *περιβεβλέαται* IX p. 80 (cf. Bredov. de dial. Herodot. p. 332, Kuehner. I p. 548, GMeyer gr. gr. p. 364): discedimus uero ab hac opinione Pergameni scripta peruoluentes, e quibus et earum quas apposuimus formarum haud paucas legisse eum in textu intelligatur, si modo textu Kuehniano librorum Galeni mss. lectiones exhiberi credere licet (in editione enim Muelleriana operis de Placitis Hippocratis et Platonis, e qua sola, quae legantur in codicibus Galenianis, hodie potest perspici, talia non obseruaui annotata), et pronominum falsissimas, analogiae studio peruerso a librariis fictas: *αὐτέη αὐτέου αὐτέοι τουτέου τοιουτέου ἑωυτέου* similes[1]), quamquam *πουλλὸς* formae mirabilis (nemo enim quemadmodum e *πολυ* stirpes *πουλυ* et *πολϝο* — *πολλο* ⟨cf. GCurtii etymol. p. 670. 282[4]⟩, ita e *πουλυ* stirpe **πουλϝο* prodiisse sumet), in collectionis mss., praesertim in Epidemiis, passim obuiae, nullum mihi occurrit exemplum Galenianum.

Vides scriptorum et genuinorum et spuriorum dialectum (consulto ex utrisque exempla modo ascripta elegi) pridem esse deprauatam, id quod consentaneum uidebitur scriptores Iadem affectantes respicienti — Aretaeum Cappadocem dico, apud quem occurrunt: *κληιδέων* I p. 20 K, *πλευρέου* p. 27, *ῥινέων* p. 30, *κτεινέωνται* p. 75, Arrianum *ὀπώπεα* ausum in Indicis (c. 15), Pseudolucianum, qui *μηνέων* e. gr. panxit (de Astrol. 5) et *κέαται* uenditat pro numero singulari (de Dea Syria 6). quod cum ita sit, inde, quod hac quidem in re inter scripta de quibus disputamus tria — exilia quaedam si excipimus — nulla cernitur

1) *τουτέων* in Iwani Muelleri libris mss. legitur: De Placitis Hippocr. et Plat. p. 689, 12 691, 4 696, 6, 10 698, 13 700, 5 702, 3 *αὐτέων* p. 690, 8 692, 9 781, 1 genere masculino siue neutro.

dissensio, ad Ermerinsii sententiam defendendam argumentum peti nequit. sed ut rem firmarem, duos collectionis libellos, quos ab uno auctore confectos non esse constaret, quam potui accuratissime inter se comparare decreui, cum, ab Hippocrate ipso conscriptum, cui titulus est *περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων*, et spurium *περὶ ἱερῆς νούσου*. ac sane, ut trium illorum codices consensu ingrato incerte fluctuantes inueneram, — hoc modo ut Parisinus 2253, liber longe praestantissimus, dialectum minime integram praeberet, sed haud raro superaretur a deterioribus, — ita ne has quidem scriptiones hodie exhibere perspexi formarum diuersitatem notabiliorem; nisi haec antiquae memoriae credis uestigia, quod in libello antiquiore ubique legimus *ἠήρ* (II p. 22. 24. 34. 60. 70 L), in pseudepigrapho *ἀήρ* (VI p. 372. 374. 390 bis; p. 394 *ἠήρ* prana Littrei coniectura; uerba *ἐν τῷ ἠέρι*, neglegenter repetita e superioribus, extirpanda, non corrigenda), omnibus locis usurpatum ab Herodoto (cf. Bredov. de dial. Her. p. 126).

Neque uero sicut formae grammaticae, ita uocabula ipsa corrupta sunt: quae non sine fructu comparabis. quo in negotio occupato molestissimum est, quod plenus dictionis Hippocrateae index adhuc desideratur, cum neque ignoti Angli opus (de quo inspice Darembergii 'Notices et Extraits' p. 118) neque Petrequini (cf. RSeligmann. in Bursiani ann. 1879 III p. 234 sqq.) lucem uiderint, ita ut euoluenda sit Foësii Oeconomia Hippocratis, egregiae doctrinae monumentum, sed hodie nouarum indigum curarum.[1]) collatis autem libellis duobus prioribus egregia apparet dissensio. percurre Legem: in scriptiuncula breuissima, una pagina quam facile concluseris, septies inuenies uocem ab Atticorum consuetudine abhorrentem. sunt nimirum hae, ne supersedeam enumeratione: *ἁμαρτάς* IV p. 638 L, uocabulum ut in libro *περὶ διαίτης ὀξέων* quartoque Epidemiarum ita apud Herodotum aliquotiens obuium, de quo audi Suidam s. u.: *ἁμαρτίαν οἱ Ἀττικοί, ἁμαρτάδα Ἡρόδοτος καὶ ἄλλοι Ἴωνες*: — *πρόστιμον, Ἑλληνικῶς* auctore Moeride (p. 150 Pierson), *ἐπιτίμιον Ἀττικῶς*: — *βαιοί*, quod locum nostrum afferens in oratione prosa non obseruauisse sese nisi apud Hippocratem testatur LDindorfius in Thesauro: — *πάγχυ, ἀτρεκέως* (bis), *μιν* uocabulis in oratione prosa Atticorum nullum esse locum, manifestum.

1) 'Oeconomia Hippocratis alphabeti serie distincta, opus non solum tyronibus, sed etiam artis Apollineae mystagogis et è superiore loco docentibus longè utilissimum' absolutum anno 1587, cuius nouam editionem promisit Ermerinsius, ualde exoptandam, Littrei enim index Francogallice compositus est uersionem spectans.

Nil fere eiusmodi in tredecim capitibus *περὶ τέχνης*. omissis nimirum ut par est terminis qui nuncupantur technici quibusdam id praecipue, quod VI p. 22 L extat, *ἐλινύει* ab Atticorum scriptorum usu alienum uidetur fuisse (repugnante Moeride p. 161 P: *ἐλινύων Ἀττικῶς, ἀναπαυόμενος Ἑλληνικῶς*). optime enim conuenit cum eis, quae docent Galenus (*τελέως ἀργεῖν, ὅπερ ἐλινύειν οἱ Ἴωνες ὀνομάζουσιν* XVIII B p. 404) et Gregorius Corinthius (*ὁ ἡσυχάζων ἐλιννύων* scil.: *λέγεται παρὰ τοῖς Ἴωσιν* p. 502), quod hoc uerbum Herodoteum poeticumque in prosa oratione Attica prius non legitur, quam apud Dionysium Halicarnassensem.

Concinunt contra libelli in uerborum compositione. atque id quidem libro *περὶ τέχνης* proprium, quod ualde in deliciis habuit auctor infinitiuum articulo iunctum — (p. 2 *τὸ τὰς τέχνας αἰσχροεπέειν, τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, τὸ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι, τὸ ... αἰσχύνειν προθυμέεσθαι, τὸ ... διαβάλλειν ἢ μωμέεσθαι*: p. 4 *τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνειν καὶ τὸ μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων*: p. 8 *τῷ ὠφελῆσθαι* (bis), *τῷ βλαβῆναι, τῷ βεβλάφθαι, τὸ εἶναι, τῷ ὀρθῶς προσενεχθῆναι* (bis): p. 16 *τῷ ψαῦσαι*: p. 18 *τὸ σκεφθῆναι*: p. 20 *τῷ μὴ ταχὺ ὀφθῆναι, τὸ εἰδέναι τῶν νούσων τὰ αἴτια καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς ἐπίστασθαι, τὸ ὀφθῆναι, τὸ ἰαθῆναι, τὸ βραδέως αὐτὸν ἐπὶ τὸν θεραπεύσοντα ἐλθεῖν*: p. 22 *τοῦ ... ἁφθῆναι*: p. 24 *τὸ ὀφθῆναι*: p. 26 *τὸ λέγειν*) —, Gorgiam uero magistrum prodit uterque. antitheseos exempla e Lege desumpta accipe haec: *ἰητρικὴ τεχνέων μὲν πασέων ἐστὶν ἐπιφανεστάτη, | διὰ δὲ ἀμαθίην τῶν χρεομένων αὐτῇ ... πολύ τι πασέων ἤδη τῶν τεχνέων ἀπολείπεται* IV p. 638 L; *μὴ λόγῳ μοῦνον, | ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὺς νομίζεσθαι* p. 640; *τὸ μὲν ἐπίστασθαι ποιέει, | τὸ δὲ ἀγνοεῖν; ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, | βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις* p. 642: *ἀντίθετον* simul atque *πάρισον* legitur p. 638: *φήμῃ μὲν πολλοί, | ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί*; p. 640: *ὁκοίη τῶν ἐν τῇ γῇ φυομένων θεωρίη, | τοιήδε καὶ τῆς ἰητρικῆς ἡ μάθησις*: additur paronomasia p. 638: *φύσιος γὰρ ἀντιπρησσούσης κενεὰ πάντα· | φύσιος δὲ ἐς τὸ ἄριστον ὁδηγεούσης διδασκαλίη τέχνης γίνεται*; p. 640 sq.: *εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος· | δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη. δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει· | θρασύτης δὲ ἀτεχνίην*.

Quas figuras etiam in altero libro passim occurrere intellige congestis his locis:

1. ἀντίθετον:

p. 2: ἐμοὶ δὲ τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν ... ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον εἶναι· | τὸ δὲ λόγων οὐ καλῶν τέχνῃ τὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένα αἰσχύνειν προθυμέεσθαι ... οὐκέτι ξυνέσιος δ. ἐ. τ. κ. ἐ. ἐ.

ἐπανορθοῦντα μὲν μηδέν, | διαβάλλοντα δὲ τὰ τῶν εἰδότων πρὸς τοὺς μὴ εἰδότας ἐξευρήματα.

οὐκέτι ξυνέσιος ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον, | ἀλλὰ κακαγγελίη μᾶλλον φύσιος.

φιλοτιμεομένων μέν, | οὐδαμᾶ δὲ δυναμένων ὑπουργέειν.

p. 6: ὅτι μὲν ἔνιοι ἐξυγιαίνονται ... ὁμολογέεται, | ὅτι δὲ οὐ πάντες, ἐν τούτῳ ἤδη ψέγεται ἡ τέχνη.

p. 16: τὰ μὲν γὰρ πρὸς τὰ ἐντὸς τετραμμένα ἐν δυσόπτῳ, | τὰ δὲ ἐξανθεῦντα ... ἐν εὐδήλῳ.

p. 26: οἵ τε νῦν λεγόμενοι λόγοι δηλοῦσιν· | αἵ τε τῶν εἰδότων τὴν τέχνην ἐπιδείξιες etc. etc.

2. ἀντίθετον et πάρισον:

p. 2: ἢ ὀρθὰ ἐόντα διαβάλλειν, | ἢ οὐκ ὀρθὰ μωμέεσθαι.

θρασυνόμενος μὲν διὰ τούτους οὓς ψέγει, | εὐπορέων δὲ διὰ τὴν τέχνην ᾗ βοηθεῖ, | δυνάμενος δὲ διὰ σοφίην ᾗ πεπαίδευται.

p. 8: τὰ μὲν γὰρ ὠφελήσαντα τῷ ὀρθῶς προσενεχθῆναι ὠφέλησαν· | τὰ δὲ βλάψαντα τῷ μηκέτι ὀρθῶς προσενεχθῆναι ἔβλαψαν.

p. 10: τοῖσι μὲν ἰητροῖσιν ἔνεστι τὰ μὴ δέοντα ἐπιτάξαι· | τοῖσι δὲ νοσέουσιν οὐκ ἔνεστι τὰ προσταχθέντα παραβῆναι.

p. 12: ἀλγέοντες μὲν ἐν τῷ παρεόντι, | φοβεύμενοι δὲ τὸ μέλλον καὶ πλήρεες μὲν τῆς νούσου, | κενεοὶ δὲ σιτίων ... οὐκ ἀποθανεῖν ὁρῶντες, | ἀλλὰ καρτερεῖν ἀδυνατέοντες· τοὺς μὲν δεόντως ἐπιτάσσειν, τοὺς δὲ εἰκότως ἀδυνατέειν.

p. 16: τά τε τῆς παιδείης μὴ ἐκποδών, | τά τε τῆς φύσιος μὴ ταλαίπωρα.

p. 20: ὅσα γὰρ τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, | ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται etc. etc.

3. παρονομασία:

p. 4: τὰ δὲ εἴδεα οὐ νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα.

p. 6: τοὺς ἀποφεύγοντας αὐτὰ τύχῃ ἀποφεύγειν, καὶ οὐ διὰ τὴν τέχνην.

τοῖσι μὲν κακῶς θεραπευομένοισι νοσήμασι τὰ πολλὰ τὴν ἀτυχίην ἕπεσθαι, τοῖσι δὲ εὖ τὴν εὐτυχίην.

p. 16: ἢ παρουσίῃ ἢ ἀπουσίῃ τοιαῦτά ἐστιν.

p. 18: καὶ ἐν τοῖσιν ἀσάρκοισι τοιαύτη ἔνεστιν, οἵη καὶ ἐν τοῖσιν εὐσάρκοισι.

p. 20: μετὰ πλείονος μὲν γὰρ πόνου καὶ οὐ μετ' ἐλάσσονος χρόνου.

p. 24: καὶ πνεύματος ταχυτῆτι καὶ βραδυτῆτι καὶ ῥευμάτων ...

Quo fuco prorsus fere libera cum sit περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς scriptio, in qua raro contraponuntur enuntiata (cf. I p. 578: ἧς γὰρ μηδείς ἐστιν ἰδιώτης, | ἀλλὰ πάντες ἐπιστήμονες; p. 582: τῇ μὲν νούσῳ τροφή τε καὶ αὔξησις γενόμενον, | τῷ δὲ σώματι φθίσις τε καὶ ἀρρωστίη; p. 588: ἑτεροῖα μὲν τῶν ἀπὸ πληρώσιος, | οὐχ ἧσσον δὲ ἅμα δεινὰ καὶ ἀπὸ κενώσιος; p. 624: τὸ μὲν αἴτιον ἀγνοεῦντας, | τὸ δὲ ξυμφορώτατον ... ἀφανίσαντας), raro uerborum luditur uano strepitu (cf. p. 572: νοσέουσί τε καὶ πονέουσιν; p. 596: ἐγγύτατα δὲ τοῦ ἀσθενέοντός ἐστιν ὁ ἀσθενής), hoc iam consequi uidetur ex eis quae disputauimus, *tria opuscula ab Ermerinsio confidenter conglutinata tribus auctoribus esse reddenda, quorum ei qui νόμον composuerunt et περὶ τέχνης libellum sophistarum utebantur dicendi artificiis.*

Decidemus autem eam, in qua uersamur, quaestionem scriptionum *argumenta* perpendentes. repraesento imaginem eorum, quae Lege continentur. queritur auctor artis medicae ruinas. propterea enim, quia antistitum eius stupori nulla in ciuitatibus poena constituta sit, nisi ignominia, extitisse multos mutis in scaena personis comparabiles, histrionum ornatum iactantibus, non arte imbutis (ὁμοιότατοι γάρ εἰσιν οἱ τοιοίδε τοῖσι παρεισαγομένοισι προσώποισιν ἐν τῇσι τραγῳδίῃσιν· ὡς γὰρ ἐκεῖνοι σχῆμα μὲν καὶ στολὴν καὶ πρόσωπον ὑποκριτοῦ ἔχουσιν, οὐκ εἰσὶ δὲ ὑποκριταί, οὕτω καὶ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοί, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί IV p. 638). cui tristissimae artis condicioni medelam adhibere studens compotem esse debere rerum sex docet magistellus noster eum, qui re medicinam professurus sit: ingenii ad discendum idonei, quo repugnante irrita sint omnia (φύσιος γὰρ ἀντιπρησσούσης κενεὰ πάντα), disciplinae, loci studiis secundi, institutionis inde a prima aetate, industriae, temporis. quibus non admodum logice enumeratis poeticam annectit imaginem. 'quale enim' inquit 'eorum quae terra progignuntur, spectaculum (θεωρίη, cf. Aesch. Prom. 800, Trendelenburg. elem. log. Arist. p. 82 sq.), talis medicinae institutio, si quidem humana natura agro consimilis, praecepta docentium seminibus, institutio matura sationi opportunae,

locus discendi aeri nutricio, ardor cultioni, quibus accedere debet iustum temporis spatium, quo quaeque ad naturae perfectionem augeantur'. recurritur in opusculi fine ad imperitiam castigandam his uerbis, dignis, ut opinor, quae describantur: ἡ δὲ ἀπειρίη κακὸς θησαυρὸς καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτήν, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ, εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος, δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη· δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δὲ ἀτεχνίην (p. 640 sq.).

Vides integram nos habere scriptiunculam tribus particulis perfectam. cuius uerba ad Gorgiae exemplum composita esse supra uidimus: summum argumentum *Protagoream* doctrinam defendere peritum neminem fugere debet. etenim quae medico postulat νόμος (φύσις, διδασκαλίη, τόπος εὐφυής, παιδομαθίη, φιλοπονίη, χρόνος), his uerbis professum esse Abderitam accepimus: φύσεως καὶ ἀσκήσεως διδασκαλία δεῖται· καὶ ἀπὸ νεότητος δὲ ἀρξαμένους δεῖν μανθάνειν (Cram. Anecd. Par. I p. 171; cf. Stob. Flor. 29, 80: Πρωταγόρας ἔλεγε, μηδὲν εἶναι μήτε τέχνην ἄνευ μελέτης, μήτε μελέτην ἄνευ τέχνης. cf. Frei, quaestiones Protagoreae p. 169. 189; Volkmann, rhetorik der Griechen und Römer p. 18).[1]) continuo pergamus ad librum περὶ τέχνης. cuius exordio reprehenduntur ei, 'artem qui profiteantur artibus maledicendi' (εἰσί τινες οἳ τέχνην πεποίηνται τὸ τὰς τέχνας αἰσχροεπέειν p. 2) ita, ut torpentium ingeniorum prodant uilitatem, cum neque noui quidquam inueniant neque imperfectum ad finem perducant ipsi, sed uerborum improborum artificiis quae a peritis inuenta sint obtrectent audientibus imperitis. atque ceterae quidem artes uolentibus et callentibus permittuntur uindicandae: aduersaturam eis tantummodo quae sequatur orationem (ὁ παρεὼν λόγος), in artem medicinalem qui inuadant, confidentem propter eorum quos uituperet imbecillitatem, affluentem propter artis cui opem ferat uirtutem, ob sapientiam qua uitatur efficacem (θρασυνόμενος μὲν διὰ τούτους οὓς ψέγει, εὐπορέων δὲ διὰ τὴν τέχνην ᾗ βοηθεῖ, δυνάμενος δὲ διὰ σοφίην ᾗ πεπαίδευται p. 2). qui

1) Cf. Isocrates in oratione contra soph. 17: δεῖν τὸν μὲν μαθητὴν τὸν μὲν φύσιν ἔχειν οἵαν χρὴ τὰ μὲν εἴδη τὰ τῶν λόγων μαθεῖν, περὶ δὲ τὰς χρήσεις αὐτῶν γυμνασθῆναι; περὶ ἀντιδόσεως 187: λέγομεν γὰρ ὡς δεῖ τοὺς μέλλοντας διοίσειν ἢ περὶ τοὺς λόγους ἢ περὶ τὰς πράξεις ἢ περὶ τὰς ἄλλας ἐργασίας πρῶτον μὲν πρὸς τοῦτο πεφυκέναι καλῶς, πρὸς ὃ ἂν προῃρημένοι τυγχάνωσιν, ἔπειτα παιδευθῆναι .. τρίτον ἐντριβεῖς γενέσθαι κτλ. — Plat. Phaedr. 269 D: εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην.

conexus, obsecro, cum Lege? nullum agnosco. nouum exordium, nouum propositum. praeceperat νόμος, qua ratione caueretur, ne contemptui esset omnibus Aesculapii ars circulatorum inscitia. quos nulla aetate defuisse consentaneum. sic et VI p. 14 L legitur: παρακελευόμενοι δὲ ταῦτα (scil. ὧν μὴ προσήκει ἅπτεσθαι οὐδὲν ἧσσον ἢ ὧν προσήκει) ὑπὸ μὲν τῶν οὐνόματι ἰητρῶν θαυμάζονται, ὑπὸ δὲ τῶν καὶ τέχνῃ καταγελῶνται, et libri περὶ ἀρχ. ἰητρ. loco illo nobilissimo (a Galeno imitatione expresso in comm. Progn. XVIII B p. 5) multo acrius: οἱ πολλοί γε τῶν ἰητρῶν ταὐτά μοι δοκέουσι τοῖσι κακοῖσι κυβερνήτῃσι πάσχειν· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ὅταν ἐν γαλήνῃ κυβερνῶντες ἁμαρτάνωσιν, οὐ καταφανέες εἰσίν· ὅταν δὲ αὐτοὺς κατάσχῃ χειμών τε μέγας καὶ ἄνεμος ἐξώστης, φανερῶς ἤδη πᾶσιν ἀνθρώποισι δι' ἀγνωσίην καὶ ἁμαρτίην δῆλοί εἰσιν ἀπολέσαντες τὴν ναῦν. οὕτω δὴ καὶ οἱ κακοί τε καὶ πλεῖστοι ἰητροὶ κτλ. (I. p. 590 L) — sed quot malorum auctores essent illi hominibus morbo correptis ut fateretur adeo non sibi proposuit sophista noster, ut contra sciolorum impudentium inuectionibus obsistens artis uim uirtutemque strenue defenderet.

De primo alteroque libello iam tibi me id quod uolebam persuasisse spero: facere autem non possum quin usque ad umbilicum alterum tibi euoluam, de operis περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς adiectione ne ullus haereat scrupulus. absoluto prooemio in libri fronte posita est ratiocinatio, infra accuratius tractanda, qua nullam omnino esse artem ostendatur, quae non re uera existat (δοκέει δή μοι τὸ μὲν σύμπαν τέχνη εἶναι οὐδεμία οὐκ ἐοῦσα p. 2). cerni enim et cognosci artem unamquamque: atqui oculis ac mente quaecunque percipiantur, existere debere. quibus praemissis fundamentum iacit auctor impugnationis medicinam definiens. καὶ πρῶτόν γε διοριεῦμαι inquit ὃ νομίζω ἰητρικὴν εἶναι· τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους· καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνειν· καὶ τὸ μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων εἰδότας ὅτι ταῦτα οὐ δύναται ἰητρική (p. 4 sq.). quam definitionem fusius explicat in eis quae secuntur, sensu cassa obicere uituperatores illos maleuolos in prooemio perstrictos euincens conuiciorum quae fuderant recensione. atque quaecunque opposuerant aduersarii cum eo tendant, ut non omnia a medicis sanari posse clament, tum fuerant quidam, inde, quia et irrita esset saepissime ars medica, et contra nullo medico adhibito multi morbis liberarentur, forte fortuna fieri concludentes, ut in pristinum sanitatis statum rediremus (c. 4—6; φασὶν οἱ

τὰ χείρω λεγοντες . . . τοὺς ἀποφεύγοντας τύχῃ ἀποφεύγειν καὶ οὐ διὰ τὴν τέχνην p. 6). quos ut refutet auctor, uaria affert medendi subsidia. nimirum haec postquam pronunciauit in uniuersum, eos morbos praue qui curarentur aduersam plerumque fortunam sequi existimare sese, qui probe secundam (ἡγεῦμαι τοῖσι μὲν κακῶς θεραπευομένοισι νοσήμασι τὰ πολλὰ τὴν ἀτυχίην ἕπεσθαι, τοῖσι δὲ εὖ τὴν εὐτυχίην p. 6), — qui sine medico sani facti essent, id *effecisse* eos aliqua ratione narrat, cibi potionisue copia plure aut minore utentes siue lauationes exercitationes somnos adhibentes aut uitantes; unde fortunae ui debilitata et iuuantia et nocentia re uera existere debere consectarium esse artemque quae proba prauaque dignoscat (οὐκ ἔστιν ἔτι οὐδενὶ τῶν ἄνευ ἰητροῦ ὑγιαζομένων τὸ αὐτόματον αἰτιήσασθαι ὀρθῷ λόγῳ· τὸ μὲν γὰρ αὐτόματον οὐδὲν φαίνεται ἐλεγχόμενον· πᾶν γὰρ τὸ γινόμενον διά τι εὑρίσκοιτ' ἂν γινόμενον, καὶ ἐν τῷ διά τι τὸ αὐτόματον οὐ φαίνεται οὐσίην ἔχον οὐδεμίην, ἀλλ' ἢ οὔνομα μοῦνον p. 10).

Quo modo posteaquam οὐσίην quae uocatur artis contra fortunam defendi uidimus, ad alteram libri partem transeundum est, qua de morborum natura causisque disseritur (c. 9—12). coniungitur ea cum priore octauo capite Littreano, quo in aduersarios, ea hercle quae curanda suscipiant Asclepiadae opera eorum non indigere dicentes, intacta relinqui quae indigeant (δεῖν δὲ εἴπερ ἦν ἡ τέχνη, πάνθ' ὁμοίως ἰῆσθαι p. 12), acerrime inuehens scriptor (uocantur παραφρονεῦντες p. 12, cf. ἀγνοεῖ ἄγνοιαν ἁρμόζουσαν μανίῃ μᾶλλον ἢ ἀμαθίῃ alia) utris morbis adhiberi possit medicina, utris nequeat, accuratius definire incipit, memor ni fallor aphorismi illius illustrissimi: ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται· ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίητα (IV p. 608 L). duo iam capite nono morborum genera dignoscit magno ille promissor hiatu δυνάμενος διὰ σοφίην ᾗ πεπαίδευται, artem callere sese parum adhuc qui demonstrauit, exteriorum scilicet (τὰ ἐξανθεῦντα) et interiorum (τὰ ἐντὸς τετραμμένα). atque illud quidem, quoniam manifestum sit (ἐν εὐδήλῳ), omnino nunquam peritis insanabile esse gloriatur (τῶν μὲν δὴ τοιούτων πάντων ἐν ἅπασι τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους δεῖ εἶναι p. 16): hoc, occlusum id quidem et obscurum (ἐν δυσόπτῳ), etiamsi tollatur difficilius (situm est nimirum in ossibus internisque cauis numero permultis), tamen ab omni auxilio disiunctum non esse (οὐ μὴν . . κεκράτηκεν, ἀλλ' ᾗ δυνατὸν κεκράτηται p. 18).

Finis imponitur declamatiunculae capite XIII. eam enim quam tertio (p. 4 sq.) praemiserat artis definitionem respiciens his uerbis perorat: ὅτι μὲν οὖν καὶ λόγους ἐν ἑωυτῇ εὐπόρους ἐς τὰς ἐπικουρίας ἔχει ἡ ἰητρική· καὶ οὐκ εὐδιορθώτοισι δικαίως οὐκ ἂν ἐγχειρέοι τῇσι νούσοισιν ἢ ἐγχειρευμένας ἀναμαρτήτους ἂν παρέχοι, οἵ τε νῦν λεγόμενοι λόγοι δηλοῦσιν αἵ τε τῶν εἰδότων τὴν τέχνην ἐπιδείξιες κτλ. (p. 26). quae non ita comparata sunt, ut additamentum deesse suspiceris. sunt uero in libro περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, quae cognata uideantur, de quibus iam inquirendum est.

De 'inueniendo' in libro de uet. Med. quod creberrime sermonem esse uidemus, etsi argumenti quandam habeat explicationem, tamen e peculiari auctoris scribendi more fluxisse negari nequit. non adeo abutar patientia lectoris, ut quaecunque huius usus exempla apud auctorem nostrum inuenerim, hoc loco subiciam: ea tantum ascribam, e quibus simul illius scriptionis quod sit argumentum consiliumque perspici possit.

Summam disputationis in eo positam esse narrauimus p. 20 ut hypotheticorum commenta euerterentur. cui operi ut sufficiat auctor, quae dicenda in promptu habet, duplici digerit ratiocinatione: non opus esse ideo nouis excogitatis, quia medendi ratio uiaque iam dudum reperta sit, in praecedentibus probandum suscipit, historici more a primordiis medicinae prosequens incrementa: parte subsequente (id est inde a capite tertio decimo Littreano) prolatis innisus quasi cominus cum aduersariis luctatur.

Quodsi percurres singula, primum offendet alterius capitis initium: ἰητρικῇ δὲ πάντα πάλαι ὑπάρχει καὶ ἀρχὴ καὶ ὁδὸς εὑρημένη, καθ' ἣν καὶ τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τ' ἐὼν καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέῃ. in quibus confirmandis cum uersaretur medicus ad capitis duodecimi calcem usque, eis quas in deliciis habuit uocibus εὕρισκειν et εὕρημα frequentius debebat uti. incipit a uictus ratione, quod quasi fundamentum doctrinae substruxit. ab ea, alia cum debeat esse ualente corpore, aegrotante alia, totam artem profectam esse debere: τὴν γὰρ ἀρχὴν οὔτ' ἂν εὑρέθη ἡ τέχνη ἡ ἰητρικὴ οὔτ' ἂν ἐζητήθη (οὐδὲν γὰρ αὐτῆς ἔδει), εἰ τοῖσι κάμνουσι τῶν ἀνθρώπων τὰ αὐτὰ διαιτωμένοισί τε καὶ προσφερομένοισιν, ἅπερ οἱ ὑγιαίνοντες ἐσθίουσί τε καὶ πίνουσι καὶ τἆλλα διαιτέονται, ξυνέφερε, καὶ εἰ μὴ ἦν ἕτερα τούτων βελτίω. νῦν δ' αὐτὴ ἡ ἀνάγκη ἰητρικὴν ἐποίησε ζητηθῆναί τε καὶ

εὑρεθῆναι ἀνθρώποισιν (I p. 574 L). principio enim eisdem cibis potionibusque usos homines atque boues equos cetera animalia nequaquam sicut illa increuisse nutritos ualentesque aeuum degisse (ἀξιῶ οὐδ' ἂν τῶν ὑγιαινόντων δίαιτάν τε καὶ τροφήν, ᾗ νῦν χρέονται, εὑρεθῆναι, εἰ ἐξήρκεε τῷ ἀνθρώπῳ ταὐτὰ ἐσθίοντι καὶ πίνοντι βοΐ τε καὶ ἵππῳ κτλ. p. 576). itaque grauia multa cum paterentur e uictu tam robusto ac ferino, pinsendo cribrando depsendo assando coquendo torrendo ita frumenta comparasse eos, ut naturae uiribusque hominis conuenirent. τῷ δ' εὑρήματι τούτῳ καὶ ζητήματι τί ἄν τις οὔνομα δικαιότερον ἢ προσῆκον μᾶλλον θείη ἢ ἰητρικήν (p. 578); porro ad eam, omnium consensu quae medicina nominetur, transiens (τὴν ὁμολογουμένως ἰητρικήν, τὴν ἀμφὶ τοὺς κάμνοντας εὑρημένην p. 580) prorsus eadem ratione inuentam docet noster. nam sicut hominum ab animalium, ita aegrotantium a sanorum condicione differre cum perspexissent, pauculas ciborum ualentium particulas multa aqua miscentes inuenisse eos sorbitiones (εὗρον τὰ ῥυφήματα p. 582) et potiones (πόματα), temperationem aegrotorum condicioni aptam anxie seruantes. concluditur denique VIII. libri caput satis confidenter his: ταῦτα δὴ πάντα τεκμήρια, ὅτι αὕτη ἡ τέχνη πᾶσα ἡ ἰητρικὴ τῇ αὐτῇ ὁδῷ ζητεομένη εὑρίσκοιτο ἄν (p. 588), quibus adiungo ea, in fine expositionis historicae quam nuncupauimus occurrentia: (φημὶ δὲ δεῖν) ἐκ πολλῆς ἀγνωσίης θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα ὡς καλῶς καὶ ὀρθῶς ἐξεύρηται καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης (p. 598).

Ecce! protuli quibus in utramque partem uti posse uidearis. nam de argumento quidem ea quae narraui nouum nos euoluisse librum arguunt, propensus autem eris fortasse ad sententiam mutandam, e scriptione περὶ τέχνης si contuleris locos nonnullos, idem unde eluceat inueniendi studium. cuius in ipso prooemio extant p. 2: ἐμοὶ δὲ τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, ὅ τι καὶ εὑρεθὲν κρέσσον ᾖ ἢ ἀνεξεύρητον, ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον εἶναι . . . τὸ δὲ λόγων οὐ καλῶν τέχνῃ τὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένα αἰσχύνειν προθυμέεσθαι, ἐπανορθοῦντα μὲν μηδέν, διαβάλλοντα δὲ τὰ τῶν εἰδότων πρὸς τοὺς μὴ εἰδότας ἐξευρήματα, οὐκέτι κτλ prius inuenta cum gaudio quodam, sicut supra uidimus, respiciuntur p. 16: τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους δεῖ εἶναι, οὐχ ὡς ῥηϊδίας, ἀλλ' ὅτι ἐξεύρηνται; p. 24: (ἰητρικὴ) εὐπορίας συνεργοὺς ἐφεῦρε . . . ἀνάγκας εὕρηκεν, ᾗσιν ἡ φύσις ἀζήμιος βιασθεῖσα μεθίησιν (scil. τὰ σημεῖα) . . . ἐξεύρηκεν οὖν καὶ τοιαῦτα πόματα καὶ

βρώματα κτλ. de qua re quomodo iudicandum sit, perspicuum reliquos collectionis libros inspicienti. nam cum alibi tum in opere περὶ διαίτης eadem conspicitur proprietas. en exordium. non satisfaciunt auctori de uictus ratione quaecunque scripta extant quae qui composuerint non uituperandos quidem (μεμφθῆναι μὲν οὖν οὐδενὶ αὐτῶν ἄξιόν ἐστιν, εἰ μὴ ἐδυνήθησαν ἐξευρεῖν VI 466), sed tamen stringendos, ut prauae multorum consuetudini obsistatur, aspernantium unumquemque secundo loco disputantem, quippe qui nesciant ὅτι τῆς αὐτῆς διανοίης ἐστὶ γνῶναι τὰ ὀρθῶς εἰρημένα ἐξευρεῖν τε τὰ μήπω εἰρημένα (p. 468). recensentur paullo infra ea quae inuenta sint quaeque inueniri nequeant p. 470: ταῦτα δὲ πάντα διαγνόντι οὔκω αὔταρκες τὸ εὕρημά ἐστιν· εἰ μὲν γὰρ ἦν εὑρετὸν ἐπὶ τούτοισι πρὸς ἑκάστην φύσιν σίτου μέτρον καὶ πόνων ἀριθμὸς σύμμετρος . . . εὕρητο ἂν ἡ ὑγιείη τοῖσιν ἀνθρώποισιν ἀκριβῶς· νῦν δὲ τὰ μὲν προειρημένα πάντα εὕρηται ὁκοῖά ἐστι, τοῦτο δὲ ἀδύνατον εὑρεῖν. omitto locos, quibus suo ipsius inuento gloriatur scriptor (uideat si quis uolet VI p. 472. 592. 594. 606. 662): hoc moneo, sicut opera περὶ διαίτης et περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς ab uno auctore profecta esse concludere nemini concedatur — est enim absurdum multis e causis —, ita ob similitudinem eandem de duobus in quibus uersamur libellis hanc conclusionem minime esse necessariam.

'Sed ad manum fuit alteri scriptori alterius opus.' uideo hercle praeter alia argumenta et inueniendi uocis crebritatem attulisse Weygoldtium in commentatione supra commemorata (p. 163), ut librum περὶ διαίτης nouisse firmaret auctorem περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς. de qua quidem quaestione primaria iudicium cohibeo, ne rem grauissimam leui bracchio ab illo tractatam leuiore uidear absoluere uelle. uerum licet respexerit opus περὶ διαίτης inter alios multos libros orationesque medicus ille praestantissimus, eos qui impugnauit, ὁκόσοι ἐπεχείρησαν περὶ ἰητρικῆς λέγειν ἢ γράφειν ὑπόθεσίν σφισιν αὐτοῖσιν ὑποθέμενοι τῷ λόγῳ, θερμὸν ἢ ψυχρὸν ἢ ὑγρὸν ἢ ξηρόν (I p. 570): id sane, iam diu esse inuentam artem medicinalem, non didicit ab Heracliteo, quippe cuius historiam breuiter modo a nobis adumbratam ex suo sine dubio ediderit cerebro.

Quae cum ita sint, ne περὶ τέχνης quidem librum auctoris de prisca Medicina manibus tritum esse ut credamus cogi nos existimo. explicatum enim habet talis cognatio in artis antiquae condicione. haud mirum sane, quod multos inueniendi gaudio

affectos uidemus eo tempore, quo scientiae ardore magis magisque animos inflammante summa cognitionis humanae petit ingenium Graecorum: quodque inuenta defendentes eisque innitentes tum potissimum, cum nihil fere tutum uidetur a sophistarum ratiunculis.

Necessarium non esse, ut libri de Arte et de uetere Medicina uno titulo contineantur uidemus: haud probabilis nobis apparebat haec coniunctio, dum diuersam reputamus uerborum synthesin: restat ut absonam euincamus. quod ut nobis contingat, nihil utilius, quam scriptionis prioris capitis alterius tractatio. quo existere artem unamquamque demonstrari supra rettuli. quaeritur, his ipsis uerbis id num negatum fuerit ab eis, contra quos tota conuersa est oratiuncula. suspiceris, octaui capitis respiciens initium, ubi esse quosdam refertur, si modo ars existat, omnia ex aequo ea sanari necesse esse pronuntiantes (*εἰσὶ δέ τινες . . . λέγοντες . . . δεῖν, εἴπερ ἦν ἡ τέχνη, πάνθ' ὁμοίως ἰᾶσθαι* VI p. 12): iam sequere, quomodo procedat. ordinandus est hac ratione auctoris syllogismus: proponitur: *ἄλογον τῶν ἐόντων τι ἡγέεσθαι μὴ ἐόν*, quo in enuntiato entia dicuntur quaecunque cernere liceat et cognoscere, non entia quae non liceat (*τὰ μὲν ἐόντα αἰεὶ ὁρᾶταί τε καὶ γινώσκεται, τὰ δὲ μὴ ἐόντα οὔτε ὁρᾶται οὔτε γινώσκεται*), de quorum natura conferenda quae leguntur supra: *τῶν γε μὴ ἐόντων τίνα ἄν τις οὐσίην θεησάμενος ἀπαγγείλειεν ὡς ἔστιν*; itemque: *εἰ γὰρ δὴ ἔστι γ' ἰδεῖν τὰ μὴ ἐόντα ὥσπερ τὰ ἐόντα, οὐκ οἶδ' ὅπως ἄν τις αὐτὰ νομίσειε μὴ ἐόντα, ἅ γε εἴη καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν καὶ γνώμῃ νοῆσαι ὡς ἔστιν.* quaeris assumptionem, inest in his: *γινώσκεται τοίνυν δεδειγμένων εἴδεα*[1]) *τῶν τεχνέων, καὶ οὐδεμία ἐστὶν ἥ γε ἔκ τινος εἴδεος οὐχ ὁρᾶται.* in promptu iam conclusio. nec uero his acquiescit auctor, sed, siue fulcire sibi uidetur quae protulit, siue supplere saltem, *τὰ εἴδεα* artium asserit causas esse nominum (*οἶμαι δ' ἔγωγε καὶ τὰ οὐνόματα αὐτὰς διὰ τὰ εἴδεα λαβεῖν*): namque ideo absurdum esse, si quis sentiat contrarium, quia nomina quidem naturae lege constituta sint, *εἴδεα* uero non constituta, sed prognata (*ἄλογον γὰρ ἀπὸ τῶν οὐνομάτων τὰ εἴδεα ἡγέεσθαι βλαστάνειν καὶ ἀδύνατον· τὰ μὲν γὰρ οὐνόματα φύσιος νομοθετήματά ἐστι, τὰ δὲ εἴδεα οὐ νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα*).

Ab auctore ipso excogitata haec non esse, ex eis uerbis perspicitur, quibus ad artem medicam transitum facit. haec enim:

1) *εἴδεα* cum Foësio recipiendum. *ἤδη* mss., Littreus; *εἴδη* L.

περὶ μὲν οὖν τούτων εἴ γέ τις μὴ ἱκανῶς ἐκ τῶν εἰρημένων ξυνίησιν, ἐν ἄλλοισιν ἂν λόγοισι σαφέστερον διδαχθείη, siue de aliorum orationibus intelligis quas audire liceat, siue de commentationibus publici iuris factis, id nobis persuadent, de doctrina peruolgata, alius ingenio quae debeatur, esse sermonem. neque haec ratio nos fefellit. Parmenidem enim reminiscimur, entia et non entia cum legimus distincta. docuerat ille in priore carminis parte, *τὰ πρὸς ἀλήθειαν* quam inscriptam habemus, duas esse cognitionis uias, quarum altera comitante ueritate procedentes entis naturam intelligeremus, non entis rationem altera perspicere nobis uideremur, a ueri similitudine plane disiuncta (*ἡ μὲν ὅπως ἔστιν τε καὶ ὡς οὐκ ἔστι μὴ εἶναι, Πειθοῦς ἐστι κέλευθος, ἀληθείῃ γὰρ ὀπηδεῖ· ἡ δ' ὡς οὐκ ἔστιν τε καὶ ὡς χρεών ἐστι μὴ εἶναι, τὴν δή τοι φράζω παναπειθέα ἔμμεν ἀταρπόν* 35 sqq. K; cf. *οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἄλλο πάρεξ τοῦ ἐόντος* 95). neque enim non ens animo posse comprehendi neque uerbis exprimi (*οὔτε γὰρ ἂν γνοίης τό γε μὴ ἐόν — οὐ γὰρ ἀνυστόν — οὔτε φράσαις* 39 K; cf. *οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν ἐστι ὅπως οὐκ ἔστι* 63). recepit eam doctrinam, qua supra physicorum scientiam, res sensuum iudicio uacillanti subiectas complectentem, Parmenides egreditur, Melissus: id quod ex his Samii uerbis manifestum fit: *καὶ κατ' ἄλλον δὲ τρόπον οὐδὲν κενεόν ἐστι τοῦ ἐόντος· τὸ γὰρ κενεὸν οὐδέν ἐστι· οὐκ ἂν οὖν εἴη τό γε μηδέν* (Simplic. in Ar. Phys. p. 104, 4 Diels), in ampliore sententiarum explicatione, breui quam placitorum enumerationi, in operis fronte positae, subiecisse cognoscitur Melissus, recurrentibus (Simpl. l. c. p. 112, 6): quibus adiunge: *οὐ γὰρ ἔστι τὸ μὴ ἐόν* p. 104, 15. sed circumspice: deuenimus in hortum unde decerpsit iatrosophista noster sapientiae flosculos. nimirum haesit ei in memoria scriptionis Melisseae exordium, a Simplicio descriptum p. 103, 13: *τοῖς γὰρ τῶν φυσικῶν ἀξιώμασι χρησάμενος ὁ Μέλισσος περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς ἄρχεται τοῦ συγγράμματος οὕτως· 'Εἰ μὲν μηδὲν ἔστι, περὶ τούτου τί ἂν λέγοιτο ὡς ἐόντος τινός;'* ad cuius speciem conformasse deprehenditur haec: *'τῶν γε μὴ ἐόντων τίνα ἄν τις οὐσίην θεησάμενος ἀπαγγείλειεν ὡς ἔστιν;'* qua in re hoc leuis est momenti, quod exorditur Melissus: 'si nihil est, de hoc quasi sit aliquid quid *dicatur*?' (cf. *οὐκ ἂν φράσαις τό γε μὴ ἐόν — οὐ γὰρ ἀνυστόν: οὐ φατόν ἐστιν ὅπως οὐκ ἔστι* Parmenidea), apud nostrum uero habes: *τίνα οὐσίην θεησάμενος*: — *τὸ θεᾶσθαι* uidelicet, *τὸ ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν καὶ γνώμῃ νοῆσαι, τὸ ὁρᾶν καὶ γινώσκειν* ea esse iudicat, quibus ad entis cognitionem

perueniatur (cf. οὐκ ἂν γνοίης, οὐ νοητόν u. 39. 64 Karsten). transtulit igitur ad unum artium exemplum Eleatarum cogitata medicus noster Melissei libri περὶ τοῦ ὄντος inscripti memor (qua in re Gorgiae dissimillimus est, libri περὶ τοῦ μὴ ὄντος auctoris, quamuis imitetur eiusdem figuras rhetoricas), non solum in conclusionibus ea respiciens de artis medicinalis existentia factis (ut p. 8: καὶ τοῦτό γε τεκμήριον μέγα τῇ οὐσίῃ τῆς τέχνης, ὅτι ἐοῦσά τέ ἐστι καὶ μεγάλη, ὅπου γε φαίνονται καὶ οἱ μὴ νομίζοντες αὐτὴν εἶναι σωζόμενοι δι' αὐτήν; ibid.: πολλὴ ἀνάγκη αὐτούς ἐστιν ἐγνωκέναι, ὅτι ἦν τι τὸ ὠφελῆσαν καὶ .. ὅτι ἦν τι τὸ βλάψαν; ibid.: ἐστὶν οὐδὲν ἧσσον τὰ ἁμαρτηθέντα τῶν ὠφελησάντων μαρτύρια τῇ τέχνῃ ἐς τὸ εἶναι; p. 10: ἡ δὲ ἰητρικὴ ... φαίνεταί τε καὶ φανεῖται αἰεὶ οὐσίην ἔχουσα), uerum tum quoque lapsus ad ea paene inuitus, cum non studuit demonstrare propositum primarium, cuius generis hic est locus p. 10: πᾶν γὰρ τὸ γινόμενον διά τι εὑρίσκοιτ' ἂν γινόμενον, καὶ ἐν τῷ διά τι τὸ αὐτόματον οὐ φαίνεται οὐσίην ἔχον οὐδεμίην, ἀλλ' ἢ οὔνομα μοῦνον.[1])

1) Notus erat Melissi liber etiam auctori περὶ φύσιος ἀνθρώπου. irriserat is iatrosophistarum oratiunculas, apud quos audientibus eisdem ne idem ter quidem deinceps superaret placitum (p. 32). concluditur caput his uerbis: 'at mihi quidem eiusmodi homines semet ipsi prosternere uidentur orationum suarum nominibus ob inscitiam, Melissi uero rationem subleuare (τὸν δὲ Μελίσσου λόγον ὀρθοῦν p. 34).' explicat haec Galenus locis duobus quantum scio (editionis enim Kuehnianae indici nulla fides), doctrinae Melisseae extrema ducens lineamenta, de elem. sec. Hipp. I p. 447 K et in commentario ad libr. de Nat. hom. atque hic ἔοικε δὲ ὁ ἀνὴρ οὗτος inquit ἐννοῆσαι μὲν εἶναί τινά οὐσίαν κοινήν, ὑποβεβλημένην τοῖς τέτταρσι στοιχείοις, ἀγέννητόν τε καὶ ἄφθαρτον, ἣν οἱ μετ' αὐτὸν ὕλην ἐκάλεσαν, οὐ μὴν διηρθρωμένως γε δυνηθῆναι τοῦτο δηλῶσαι (XV p. 29). Aristotelis memorem fuisse suspicor Pergamenum Metaph. I 5 p. 986 b 18: Παρμενίδης μὲν γὰρ τοῦ ἔοικε κατὰ τὸν λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι, Μέλισσος δὲ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην. quod iudicium mirum uideri collatis ipsius Melissi uerbis his: ἓν δὲ ἐὸν δεῖ αὐτὸ σῶμα μὴ ἔχειν· εἰ δὲ ἔχοι πάχος, ἔχοι ἂν μόρια καὶ οὐκέτι ἂν εἴη ἕν (fr. 16, Simpl. Phys. p. 87, 6 Diels), non fugit uiros doctos. itaque Brandisius quidem hoc modo soluendam censuit hanc difficultatem, ut totam Samii argumentationem potius quam haec uerba respexisse Aristotelem sumeret, materialem cum diceret unitatem Melisseam (Comment. Eleat. p. 209). euenisse enim illi, ex entis aeternitate infinitum id esse praue concludenti (Comm. Eleat. p. 200 sq. Hist. phil. I p. 405), ut, dum rationalem naturam, quae corpore penitus careret, mente comprehendere ulteriusque persequi uellet, relaberetur inuitus atque inscius ad formam corpoream (Comm. El. p. 214); infinito enim ipsum indidisse extensionem atque magnitudinem (cf. fr. 8, Simpl. Phys. p. 109 D: ἀλλ' ὥσπερ ἐστὶν

Melissum agnouimus, sed aliae insunt aetatis originisque σφραγῖδες. de nominum namque natura quae sentiat annectere scriptorem meministi. protraxit locum nostrum post Lerschium (sprachphilosophie der alten I p. 30) Lassalleus (die philos. Herakleitos des dunklen II p. 394) Heraclitea eo tradi arbitratus: Ephesium enim φύσει nomina nata esse rebus iudicauisse, e Cratylo Platonico potissimum intelligi (l. c. II p. 362 sqq.). atque Cratyli sententia (cf. p. 383 A: Κρατύλος φησὶν ὅδε, ὦ Σώκρατες, ὀνόματος ὀρθότητα εἶναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων φύσει πεφυκυῖαν κτλ.) num re uera ad Heraclitum referenda sit auctorem — id quod e dialogo quidem conclusisse uidetur Ammonius (de interpret. 24 b Ald.: τῶν μὲν γὰρ αἰεί, οὕτω καὶ τὸ μέγαθος ἄπειρον αἰεὶ χρὴ εἶναι). uberius de hac cognatione, qua cum Ionicis iunguntur quodammodo et Melissus et ipse Parmenides, exposuit Zeller (I[4] p. 150 sqq. 516 sqq. 556). quorum ad sententiam confirmandam locus noster Pseudippocrateus testimonio est, digno sane quod notetur. etenim misere peccaturum fuisse auctorem contra artis logicae leges, physicis Melissum ea quam narrauimus ratione iungentem, de eius doctrina idem nisi sensisset atque Galenum cum Aristotele sensisse uidimus, — ὕλην scilicet non effugisse eum (siue aliam huic uoci praefers, ab Aristotele primum proprietate philosopha donatae), σῶμα μὴ ἔχειν, πάχος μὴ ἔχειν debere essentiam frustra pronuntiantem —, quin tu mecum approbes minime dubito. sed accuratam medicum nostrum libri Melissei habuisse cognitionem ne audacius a me coniectum esse opponas, luculentum restat ut proferam argumentum. proximo capite a sophistis ad medicos transitus fit. quorum placitis enumeratis initium fit refutandi enuntiato hoc: ἐγὼ δέ φημι, εἰ ἓν ἦν ὤνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεεν, οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν ὑφ' ὅτου ἀλγήσειεν ἓν ἐών· εἰ δ' οὖν καὶ ἀλγήσειεν, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον ἓν εἶναι· νυνὶ δὲ πολλά. quibuscum si conferes, de Melisso quae narrantur in libri Pseudaristotelici de Melisso Xenophane Gorgia conscripti capite primo: (φησὶ) τοιοῦτο ὂν τὸ ἓν (scil. ἀκίνητον) ἀνώδυνόν τε καὶ ἀνάλγητον ὑγιές τε καὶ ἄνοσον εἶναι, οὔτε μετακοσμούμενον θέσει, οὔτε ἑτεροιούμενον εἴδει οὔτε μιγνύμενον ἄλλῳ (p. 974 a 18), animum attendes; confirmabitur suspicio, Simplicium si euolueris, scriptionis Melisseae ipsa qui nobis seruauit fragmenta. inuenerat autem sub libri initium haec: ἀλλὰ μὴν εἰ ἕν, καὶ ἀκίνητον. τὸ γὰρ ἓν ὁμοῖον αἰεὶ ἑωυτῷ· τὸ δὲ ὁμοῖον οὔτ' ἂν ἀπολλύοιτο οὔτ' ἂν μέξον γίνοιτο οὔτε μετακοσμέοιτο οὔτε ἀλγέει οὔτε ἀνιῆται. εἰ γάρ τι τούτων πάσχοι, οὐκ ἂν ἓν εἴη (fr. 4 p. 103 sq. D), quae infra fusius exposita extabant (οὐδὲ ἀλγέει· οὐ γὰρ ἂν πᾶν εἴη ἀλγέον· οὐ γὰρ ἂν δύναιτο αἰεὶ εἶναι χρῆμα ἀλγέον οὐδὲ ἔχει ἴσην δύναμιν τῷ ὑγιεῖ· οὔτ' ἂν ὁμοῖον εἴη εἰ ἀλγέοι· ἀπογινομένου γάρ τευ ἂν ἀλγέοι ἢ προσγινομένου κοὐκ ἂν ἔτι ὁμοῖον εἴη. οὐδ' ἂν τὸ ὑγιὲς ἀλγῆσαι δύναιτο· ἀπὸ γὰρ ἂν ὀλλύοιτο τὸ ὑγιὲς καὶ τὸ ἐόν, τὸ δὲ οὐκ ἐὸν γένοιτο. καὶ περὶ τοῦ ἀνιᾶσθαι ωὐτὸς λόγος τῷ ἀλγέοντι fr. 13 p. 112 D). apparet igitur, de ente quod concluserat Melissus, dolori uidelicet non id esse obnoxium, transtulisse Pseudippocratem ad medicorum quibus aduersabatur principium unicum, petentem inde impugnandi ansam.

φύσει αὐτὰ (scil. τὰ ὀνόματα) εἶναι ἀξιούντων οἱ μὲν οὕτω τὸ φύσει λέγουσιν, ὡς φύσεως αὐτὰ οἰόμενοι εἶναι δημιουργήματα, καθάπερ ἠξίου Κρατύλος καὶ Ἡράκλειτος), post Lassalleum ingeniosius quam cautius persecutus est Schuster (act. soc. Ritschel. III p. 318 sqq.) — dubium est (cf. Zelleri hist. phil. I[4] p. 658 sq. II[3] 1 p. 529) nec multum attinet ad quaestionem nostram: hoc constat, inde a medio saeculo quinto, cum poetarum, Homeri potissimum, interpretatione studiisque rhetoricis et philosophicis artis grammaticae fundamenta struerentur (cf. Classenus de grammaticae graecae primordiis p. 15 sqq.), de linguae humanae et origine et indole disputationes fuisse illustrissimas. eis enim, φύσιν nominum genetricem qui putabant, aduersabantur θέσιν defendentes siue νόμον, e quorum numero Democritum fuisse refert Proclus (ad Cratyl. 16), esse Hermogenem in Cratylo uidemus (cf. e. gr. οὐ δύναμαι πεισθῆναι ὡς ἄλλη τις ὀρθότης ὀνόματος ἢ ξυνθήκη καὶ ὁμολογία p. 384 D, νομοθέτου ἄρα ἔργῳ χρήσεται ὁ διδασκαλικός, ὅταν ὀνόματι χρῆται; ἔοικεν. 388 E). quae sententiae diuersae ita iunguntur a Platone, ut id quidem concedat naturae, quod imitatione contineri indicat nominum ὀρθότητα (ὄνομα ἄρα ἐστίν, ὡς ἔοικε, μίμημα φωνῇ ἐκείνου, ὃ μιμεῖται, καὶ ὀνομάζει ὁ μιμούμενος τῇ φωνῇ, ὅταν μιμῆται p. 423 B), neque uero consuetudinem prorsus excludat (ἀναγκαῖόν που καὶ ξυνθήκην τι καὶ ἔθος ξυμβάλλεσθαι πρὸς δήλωσιν ὧν διανοούμενοι λέγομεν p. 435 B). quibuscum si componis uerba scriptoris de Arte: τὰ οὐνόματα φύσιος νομοθετήματα i. e.: 'nomina naturae instituta' respicisque instituta opponi 'germinibus' in eis quae secuntur (τοῖς βλαστήμασι), simili modo atque Platonem mediam uiam inter doctrinas diuersas ingressum esse sophistam intelligis.

Nouitne uero Platonem? bene conueniunt uerba eius: οἶμαι δ' ἔγωγε καὶ τὰ οὐνόματα αὐτὰς (scil. τὰς τέχνας) διὰ τὰ εἴδεα λαβεῖν cum Socratis Cratylei, τῆς οὐσίας μιμήσει progenita esse nomina docentis: quin immo uoce εἴδεα ad Platonem uidemur relegari, id quod monuit Zeller (II[3] 1 p. 529, 7 cf. Steinthal, gesch. der sprachwissensch. p. 90 NB).

Εἶδος et *ἰδέη* uoces frequenter usurpantur in collectione Hippocratea. naturae notionem sensibus subiectae *ἰδέη* habet saepius, sicut apud auctorem περὶ φύσιος ἀνθρώπου: ἀξιῶ δ' ἔγωγε τὸν φάσκοντα αἷμα εἶναι μοῦνον τὸν ἄνθρωπον καὶ ἄλλο μηδὲν δεικνύναι αὐτὸν μὴ μεταλλάσοντα τὴν ἰδέην μηδὲ γίνεσθαι παντοῖον (VI p. 36), diserte quae illustrantur p. 34: τοῦτο

ἓν ἐὸν μεταλλάσσειν τὴν ἰδέην καὶ τὴν δύναμιν, ἀναγκαζόμενον ὑπό τε τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, καὶ γίνεσθαι καὶ γλυκὺ καὶ πικρον καὶ λευκὸν καὶ παντοῖόν τι ἄλλο (cf. p. 42. 36 etc. quibuscum conferre iuuat Xenophan. fr. VI K, Anaxagor. fr. 3, Diog. Apoll. fr. 6). alterius autem uocis, uetustioris eius quidem, uim antiquissimam, externae uidelicet formae et speciei, quam significare uoluit Homerus, cum diceret Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, reperis in libro de Aere aquis locis, ab ipso Hippocrate conscripto (cf. τά τε εἴδεα ἐπὶ τὸ πλῆθος ἀτονώτερα εἶναι II p. 16 L; τά τε εἴδεα τῶν ἀνθρώπων εὔχροά τε καὶ ἀνθηρά ἐστι μᾶλλον p. 22 sq.; τούς τε ἀνθρώπους εὐτραφέας εἶναι καὶ τὰ εἴδεα καλλίστους p. 54; διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας τὰ εἴδεα αὐτῶν παχέα ἐστὶ καὶ σαρκώδεα καὶ ἄναρθρα καὶ ὑγρὰ καὶ ἄτονα p. 72; εἶεν ἂν εἴδεα μεγάλοι καὶ ἑωυτοῖσι παραπλήσιοι p. 90). propria hominis constitutio εἶδος est in libris περὶ φύσιος ἀνθρώπου et περὶ διαίτης ὑγιεινῆς quos Polybi putant, Hippocratis generi (cf. τό τε ξύμπαν γνῶναι δεῖ τὸν ἰητρὸν ἐναντίον ἵσταθαι τοῖσι καθεστεῶσι καὶ νοσήμασι καὶ εἴδεσι καὶ ὥρῃσι καὶ ἡλικίῃσι VI p. 52. cf. p. 54. 76), quibus annumero librum περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον[1]), ante Platonem conscriptum ab auctore incerto (id quod collatis Timaei p. 74 D sqq. et Reipublicae V p. 462 C locis monstrauit FPoschenrieder in libello: die platonischen dialoge in ihrem verhältnisse zu den hippokrat. schriften 1882). porro in scriptione περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς uocabulum est natura, sensibus quae percipitur, his locis: εἰ γλυκὺς χυμὸς μεταβάλλοι ἐς ἄλλο εἶδος, μὴ ὑπὸ ξυγκρήσιος, ἀλλ' αὐτὸς ἐξιστάμενος, ποῖός τις πρῶτος γένοιτο, μικρὸς ἢ ἁλμυρὸς ἢ στρυφνὸς ἢ ὀξύς; (I p. 634); πέσσεσθαι δὲ καὶ μεταβάλλειν καὶ λεπτύνεσθαι καὶ παχύνεσθαι ἐς χυμῶν εἶδος διὰ πολλῶν εἰδέων καὶ παντοίων (p. 618); οὐ γάρ ἐστιν αὐτοῖσιν, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ἐξευρημένον αὐτό τι ἐφ' ἑωυτοῦ θερμὸν ἢ ξηρὸν ἢ ψυχρὸν ἢ ὑγρόν, μηδενὶ ἄλλῳ εἴδει κοινωνέον (p. 604), paullo aliter interpretandum p. 596 (χαλεπὸν . . . τυγχάνειν ἀεὶ τοῦ ἀτρεκεστάτου· πολλὰ δὲ εἴδεα κατ' ἰητρικὴν ἐς

1) Cuius capite 44 leguntur haec: ἡ δὲ ἰητρικὴ ὀλιγόκαιρός ἐστιν· καὶ ὃς τοῦτο ἐπίσταται, ἐκείνῳ καθέστηκε, καὶ ἐπίσταται τὰ εἴδεα καὶ τὰ μὴ εἴδεα, ἃ ἐστιν ἐν ἰητρικῇ ὁ καιρὸς γνῶναι VI p. 338 L. accidere ut facultatem in contrarium uertat medicamentum (ὑπέναντίωσις) exponitur, nisi ea quae *hominis cuiusque constitutioni* conueniat ratione adhibeatur. constitutiones ideo docere medicinam et occasiones (ἰητρικὴ δή μοι δοκέει ἀνευρῆσθαι ὅλη, ἥτις . . . διδάσκει ἕκαστα καὶ τὰ εἴδεα (ἔθεα mss.) καὶ τοὺς καιρούς (p. 342).

τοσαύτην ἀκριβίην ἥκει), quippe quo loco uaria spectentur morborum genera, non solum sensuum, sed *mentis* etiam indicio cognoscenda. simili ratione Pericles Thucydideus τὸν αὐτὸν ἄνδρα ἐπὶ πλεῖστ' ἂν εἴδη καὶ μετὰ χαρίτων μάλιστ' ἂν εὐτραπέλως τὸ σῶμα αὔταρκες παρέχεσθαι in Atheniensium ciuitate praedicat (II 41 cf. III 82) uitae uiuidae dicens condiciones, cuius usus unum restat ut memorem exemplum, quod I p. 586 L extare uidebis.

Quodsi uarias has significationes perlustras, nulla libri περὶ τέχνης locos expediri posse intelligis. quos ut explicemus, Cratyli talia afferenda sunt: ὄνομα ἄρα διδασκαλικόν τί ἐστιν ὄργανον καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας (388 B); ἡ οὐσία τοῦ πράγματος δηλουμένη ἐν τῷ ὀνόματι (393 D); τῶν ὀνομάτων ἡ ὀρθότης τοιαύτη τις ... οἵα δηλοῦν οἷον ἕκαστόν ἐστι τῶν ὄντων (422 D) quibuscum bene quadrant auctoris nostri οἶμαι δ' ἔγωγε καὶ τὰ ὀνόματα αὐτὰς διὰ τὰ εἴδεα λαβεῖν: monstranda ea quae inter uerba eiusdem ἄλογον γὰρ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων τὰ εἴδεα ἡγεῖσθαι βλαστάνειν καὶ ἀδύνατον et Socratis sententiam intercedit cognatio, Cratylum, ὃς ἂν τὰ ὀνόματα ἐπίστηται, ἐπίστασθαι καὶ τὰ πράγματα defendentem p. 435 D, impugnantis. quae qui perpensitauerit, re uera οὐσίαν ualere εἶδος in libro περὶ τέχνης, significatione a Platonis philosophia profecta, concedet, id quod ceteris oratiunculae locis confirmatur. cf. γινώσκεται τοίνυν δεδειγμένων εἴδεα τῶν τεχνέων καὶ οὐδεμία ἐστὶν ἥ γε ἔκ τινος εἴδεος οὐχ ὁρᾶται (p. 4); τὸ μὲν γὰρ τῆς τύχης εἶδος ψιλὸν οὐκ ἐβουλήθησαν θεήσασθαι ἐν ᾧ τῇ τέχνῃ ἐπέτρεψάν σφας αὐτούς (p. 6); ἐν τοῖσι πλείστοισι τῶν τε φυομένων καὶ τῶν ποιευμένων ἔνεστι τὰ εἴδεα τῶν θεραπειῶν καὶ τῶν φαρμάκων (p. 10), unde perspicua quae paullo ante leguntur: νῦν δὲ δὴ φαίνονται τῶν ἰητρῶν οἱ μάλιστα ἐπαινεόμενοι καὶ διαιτήμασιν ἰώμενοι καὶ ἄλλοισί γε εἴδεσιν.

Amplo uerborum ambitu in eis quae secuntur res geritur contra eos, arti nihil omnia fortunae qui tribuant (καί φασιν οἱ τὰ χείρω λέγοντες διὰ τοὺς ἁλισκομένους ὑπὸ τῶν νοσημάτων, τοὺς ἀποφεύγοντας αὐτὰ τύχῃ ἀποφεύγειν καὶ οὐ διὰ τὴν τέχνην p. 6). τύχη quid ualeret et τὸ αὐτόματον quaeri solitum discimus ab Aristotele, ipse de eis quae sentiat priusquam expromat, ubere sicut solet priorum placita referente Phys. II, 4 p. 195 b 31. quo loco tria dignoscuntur sententiarum genera: unum casu quid fieri omnino negantium, id quibus faueat argumentum, quod ne prisci quidem sapientes fortunae uim agnouisse uideantur (ἐπεὶ εἴ γέ τι ἦν ἡ τύχη, (φασὶν) ἄτοπον ἂν φανείη ὡς ἀληθῶς καὶ

ἀπορήσειεν ἄν τις, διὰ τί ποτ' οὐδεὶς τῶν ἀρχαίων σοφῶν τὰ αἴτια περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς λέγων περὶ τύχης οὐδὲν διώρισεν, ἀλλ' ὡς ἔοικεν οὐδὲν ᾤοντο οὐδ' ἐκεῖνοι εἶναι ἀπὸ τύχης p. 196 a 7): alterum in caelo ei tantummodo locum concedentium, quoniam conuersio motioque quibus in ordinem distinctum sit uniuersum casu facta sit, animalia uero plantaeque nec sint casu neque fiant (εἰσὶ δέ τινες οἳ καὶ τοῦρανοῦ τοῦδε καὶ τῶν κοσμικῶν πάντων αἰτιῶνται τὸ αὐτόματον κτλ. ibid. 24): tertium denique eorum, qui causam quidem esse credant fortunam, sed occultam menti humanae quasi diuinum quid et mirabile (εἰσὶ δέ τινες οἷς δοκεῖ εἶναι αἰτία μὲν ἡ τύχη, ἄδηλος δὲ ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ ὡς θεῖόν τι οὖσα καὶ δαιμονιώτερον p. 196 b 5). multum autem abest, ut tali ratione (cuius plura exempla afferre superuacaneum est, cf. Aëtii Plac. I 29, Epiphan. p. 593 Doxogr.) de fortuna philosophati sint medicinae inimici, in quos conuersa est declamatiuncula nostra, calumniarum futtilium iaculatores. accuratius inquisiuerunt, in arte medica fortunae quae esset uis quaeque ei concessa auctoritas, auctores περὶ νούσων α' et περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον. atque ille quidem ex improuiso bene quae euenirent in morbis, quae male, exposuit cap. VIII (τὰ γὰρ τοιαῦτα δι' οὐδεμίην οὔτε σοφίην ἰητρῶν γίνεταί τε καὶ οὐ γίνεται, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου καὶ ἐπιτυχίης), proximo medicaminibus quae insint uires secundariae probae prauaeque discimus (ἐπιτυχίῃ δὲ τὰ τοιάδε οἱ ἰητροὶ ποιέουσιν ἐν τῇ θεραπείῃ ἀγαθά ... κακὰ δὲ τάδε ἀπεργάζονται ἀπὸ ἀτυχίης VI p. 154): hic eum, qui et hominum naturas nouerit et occasiones (καὶ τὰ εἴδεα καὶ τοὺς καιρούς), minime e fortuna pendere docet cap. XLVI (ὃς γὰρ οὕτως ἰητρικὴν ἐπίσταται, ἐλάχιστα τὴν τύχην ἐπιμένει, ἀλλὰ καὶ ἄνευ τύχης καὶ ξὺν τύχῃ εὐποιηθείη ἄν VI p. 342). fortunam uero dominam et felicem, si modo ea utatur peritus (ἡ γὰρ τύχη αὐτοκρατὴς καὶ οὐκ ἄρχεται οὐδ' ἐπ' εὐχῇ ἐστιν αὐτὴν ἐλθεῖν· ἡ δ' ἐπιστήμη ἄρχεταί τε καὶ εὐτυχής ἐστιν, ὁπόταν βούληται ὁ ἐπιστάμενος χρῆσθαι). nec sane necessariam esse arti fortunam, quoniam existant morborum medicamina manifesta, quae quidem, si modo existant, sine fortuna restituant sanitatem (εἰ μὲν γὰρ ἔστι τῶν νοσημάτων φάρμακα σαφέα, οἶμαι, οὐκ ἐπιμένει τὴν τύχην τὰ φάρμακα ὑγιᾶ ποιῆσαι τὰ νοσήματα, εἴ περ ἔστι τὰ φάρμακα). concordat cum his auctor περὶ τέχνης, quem scripsisse reminisceris: πολλὴ ἀνάγκη αὐτούς ἐστιν ἐγνωκέναι, ὅτι ἦν τι τὸ ὠφελῆσαι, καὶ ὅτε ἐβλάβησαν τῷ βλα-

βῆναι, ὅτι ἦν τι τὸ βλάψαν (p. 8) similia. aperta uero imitationis deprehenduntur uestigia in eis quae secuntur. nimirum in libro antiquiore — uersauit enim Plato — quae leguntur: ἐμοὶ γὰρ δοκέουσι μοῦνοι καὶ ἐπιτυγχάνειν καὶ ἀτυχέειν οἱ καλῶς τι καὶ κακῶς πρῆξαι ἐπιστάμενοι· ἐπιτυγχάνειν τε γὰρ τοῦτ' ἔστι τὸ καλῶς ποιέειν, τοῦτο δὲ οἱ ἐπιστάμενοι ποιέουσιν· ἀτυχέειν δὲ τοῦτ' ἔστιν, ὃ ἤν τις μὴ ἐπίστηται τοῦτο μὴ καλῶς ποιέειν κτλ. nota fuisse ponentes sophistae, apud quem et Melissi et Platonis supra agnouimus uestigia, cum scripserit ἡγεῦμαι τοῖσι μὲν κακῶς θεραπευομένοισι νοσήμασι τὰ πολλὰ τὴν ἀτυχίην ἕπεσθαι, τοῖσι δὲ εὖ τὴν εὐτυχίην (p. 6), non nimium audebimus.

Satis iam exposuisse mihi uideor de orationis περὶ τέχνης argumento. concludam disputationem in Ermerinsium conuersam de aduersariis disserens, quos impugnauit auctor περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, utpote cum sophistis nil esse commune huic auctori unde luculenter appareat. qua in quaestione uersantem primo loco commouet, quantum in duobus libellis discrepet totius disputationis habitus: tumultuosus ille quidem in sophistico conuiciisque hominum ingenio inferiorum more refertus (cf. αἰσχροεπέειν, αἰσχύνειν, διαβάλλοντα, κακαγγελίη φύσιος p. 2; παραφρονεύντων p. 12; ἀγνοεῖ ἄγνοιαν ἁρμόζουσαν μανίῃ μᾶλλον ἢ ἀμαθίῃ p. 12 sq.; ἀφρόνων p. 14): simplex et integer in altero (καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες, ἄξιοι μέμψασθαι p. 570). discrepant item duorum auctorum aduersarii.

Exoptata lux et medicinae et philosophiae historiam scrutanti e libro περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς. qui quo tempore conscriptus est, de quibus supra diximus (p. 20) hypotheticorum (uerbo sit uenia) placita florebant, paullo ante sicut uidetur prolata (ἐπὶ δὲ τῶν τὸν καινὸν τρόπον τὴν τέχνην ἐξ ὑποθέσιος ζητεόντων λόγον ἐπανελθεῖν βούλομαι I p. 598 L). atque laudandus quidem Littreus, quod primordia quaerens eorum doctrinae, qui calidum frigidum siccum humidum aliud quid supponentes morborum mortisque causas angusto gyro concludebant (ἐς βραχὺ ἄγοντες τὴν ἀρχὴν τῆς αἰτίης τοῖσιν ἀνθρώποισι τῶν νούσων τε καὶ τοῦ θανάτου καὶ πᾶσι τὴν αὐτὴν ἓν ἢ δύο προθέμενοι p. 570), refragatur Linkio post Aristotelem librum scriptum esse arbitrato[1]) (I p. 190): quod uero ab Eleatarum tertio, Zenonem dico, quattuor ipsas qualitates in libello nostro quae memorantur naturae

1) Act. acad. Berol. class. phys. 1814—15 p. 238: 'das sonst gute buch kann nicht von Hippokrates sein da es eine lehre verwirft, welche durch aristotelische philosophie entstanden war'.

uniuersae principia receptas esse affert editor Francogallus, non subscribo. etenim eorum quibus haec sententia niti uidetur locorum altero, Stobaeano, Empedoclea referuntur, non Zenonis Melissiue placita (cf. Dieles. Doxogr. p. 303, 21): altero, Laertiano, Zenonea quidem sed Citiensis (cf. Zeller I[4] p. 537 sq.).

Aliorum indagare debemus philosophorum cum medicis ὑποθέσεων φίλοις conexionem. bene quadrat Aristotelis de qualitatibus elementisque doctrina, in libro de Caelo tertio itemque in eiusdem μεθόδου (cf. p. 388a 20) scriptionibus de Generatione et Corruptione quartoque Meteorologicorum exposita, ubi multas quidem esse contrarietates tactu quae percipiantur docet Stagirita, actiuas uero aut passiuas (scilicet quae misceantur et in sese mutentur uicissim) calidum frigidum, siccum humidum tantummodo (στοιχεῖα, ἀρχαί, αἴτια τῶν στοιχείων), quarum copulationibus quattuor euadere elementa (στοιχεῖα, τὰ καλούμενα στοιχεῖα, ἁπλᾶ σώματα). quid uero moramur in Aristotele, quo multo antiquiorem esse libellum quaeuis pagina clamat, inde ab Anaximandro per philosophiae historiam cum prosequi liceat qualitatum notionem? atque huic quidem e materia infinita calidum et frigidum discreta placuisse, quorum mixtura humidum factum esset, terrae aeris globi ignei principium, Theophrastus rettulerat in Opinionibus physicis (id quod e Simplicii Aëtii Pseudoplutarchi Eusebiani epitomis elucet cf. Doxogr. p. 134). quae ratio num cui ueterum probabilis uisa sit nescio: Anaximenes certe ex aere cuncta deducens condensatione et extenuatione quod condensaretur frigidum cum iudicaret, calidum quod extenuaretur (id quod inde conclusisse eum Plutarchus refert in scriptione de primo Frigido II p. 1160 Duebn., quia quem aperto ore emittamus halitum caleat, frigeat quem densatum labiis compressis), iure imposuit multis, sicut Diogeni Apolloniatae — quem *denso* conuenire *frigidum* statuisse e Theophrasti excerpto Laertiano concludo, quo πῆξιν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ cepisse terram placitum refertur IX 9: *calidum tenui* ex eis, de anima quae docuit calore praedita maiore in aliis in aliis minore (pro indole scilicet) (Simpl. in Ar. Phys. p. 153, 6 D), collato loco Pseudoplutarcheo, quo aeris rationalis densitate impediri animalia docuisse traditur Apolloniates, quominus intelligerent aut sentirent (p. 432, 23 Doxogr.) — nec non Anaxagorae, aera densum et frigidum, aethera tenuem et calidum iudicanti (Theophr. de Sens. p. 516, 5 Diels. cf. Zeller I[4] p. 897).

Calidum et frigidum et principia materialia statuta esse mundi uniuersi ab antiquissimis physiologis et principiis iuncta cognoui-

mus. quid igitur? de uniuerso quae ualerent quidni ad humanum corpus transferrentur? quod ab Alcmaeone Crotoniata factum accepimus. cuius de placitis quae tradita sint quaerenti proficiscendum est a Laertio, plurimum eum in medicina uersatum esse narrante VIII 5 (*τὰ πλεῖστά γ' ἰατρικὰ λέγει, ὅμως δὲ καὶ φυσιολογεῖ ἐνίοτε*). affluxit autem nobis Alcmaeonis doctrina riuulis duobus, Aristotelis et Aëtii. similiter atque Pythagoreos bifariam distribuisse Alcmaeonem 'rerum humanarum plurimas' refert ille (*ἀπεφήνατο δὲ παραπλησίως τούτοις* ⟨scil. *τοῖς Πυθαγορείοις*⟩· *φησὶ γὰρ εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὥσπερ οὗτοι διωρισμένας ἀλλὰ τὰς τυχούσας, οἷον λευκὸν μέλαν, γλυκὺ πικρόν, ἀγαθὸν κακόν, μέγα μικρόν* Metaph. I 5 p. 986b 29): morbos facultatis unius, humidi scilicet sicci, frigidi calidi, amari dulcis reliquarum dominatione gigni placuisse Pseudoplutarchi Stobaeique constat excerptis (*Ἀλκμαίων τῆς μὲν ὑγείας εἶναι συνεκτικτικὴν τὴν ἰσονομίαν τῶν δυνάμεων, ὑγροῦ ξηροῦ, ψυχροῦ θερμοῦ, πικροῦ γλυκέος καὶ τῶν λοιπῶν, τὴν δ' ἐν αὐτοῖς μοναρχίαν νόσου ποιητικήν· φθοροποιὸν γαρ ἑκατέρου μοναρχίαν. καὶ νόσον συμπίπτειν ὡς μὲν ὑφ' οὗ ὑπερβολῇ θερμότητος ἢ ψυχρότητος, ὡς δὲ ἐξ οὗ διὰ πλῆθος ἢ ἔνδειαν . . . τὴν δὲ ὑγείαν τὴν σύμμετρον τῶν ποιῶν κρᾶσιν* Doxogr. p. 442 sq.).

Quo luculento Alcmaeonis exemplo qua ratione auctoris *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* processerint aduersarii, animo licet informare. sicut enim ille a Pythagoreis et aequabilitatis notionem mutuatus est et contrariorum, de qualitatibus Ionicorum inuenta in suum usum conuertisse putandus (cf. Krische: die theolog. lehren der griechischen denker p. 74 sq.), ita hypothetici communi qua tunc in rerum naturam inuestigabatur cupidine accensi priorum amplexabantur placita physica, quod a sophistis saepius factum esse haud ignoras eorum ex ipsa collectione quae supra attuli exemplorum memor (cf. p. 15 sqq.).

Exortae igitur eorum doctrinae naturalis scientiae quamuis rudis admodum et incultae fundamento: contra ab auctore *περὶ τέχνης* qui refelluntur medicinae inimici, et ab arte remoti sunt et a philosophia. uil ualet, quod et in libro pretiosiore interdum leuiter attinguntur eorum criminationes (cf. *οὐ φημὶ δη διὰ τοῦτο δεῖν τὴν τέχνην ὡς οὐκ ἐοῦσαν οὐδὲ καλῶς ζητεομένην τὴν ἀρχαίην ἀποβαλέσθαι* I p. 596; *μάλιστα δὲ ἄξιοι μέμψασθαι, ὅτι ἀμφὶ τέχνης ἐούσης, ᾗ χρέονταί τε πάντες ἐπὶ τοῖσι μεγίστοισι καὶ τιμῶσι μάλιστα τοὺς ἀγαθοὺς χειροτέχνας καὶ*

δημιουργούς ⟨scil. *καταφανέες εἰσὶν ἁμαρτάνοντες*⟩ p. 570 et in eis quae sec.: *εἰσὶ δὲ δημιουργοὶ οἱ μὲν φλαῦροι, οἱ δὲ πολλὸν διαφέροντες· ὅπερ εἰ μὴ ἦν ἰητρικὴ ὅλως μηδ' ἐν αὐτῇ ἔσκεπτο μηδ' εὕροιτο μηδέν, οὐκ ἂν ἦν κτλ.*): quippe quae et ab aliis auctoribus impugnentur, ab eo e. gr. qui *παραγγελίας* conscripsit (*μετὰ τούτων δὲ πάντων μέγα ἂν τεκμήριον φανείη ξὺν τῇ οὐσίῃ τῆς τέχνης, εἴ τις καλῶς ἰητρεύων προσαγορεύσιος τοιαύτης μὴ ἀποσταίη κτλ.* IX p. 264 L): — de arte oratiunculam, quam cum Aristotele *τῷ γραφικῷ γένει* ascribere licet, recitationi destinatam (cf. Rhet. III 12 p. 147, 9 Sp.: *ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη· τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀνάγνωσις*), eum, artem scriptoriam[1]) despicere se aperte qui pronuntiaret (*ἐγὼ δὲ τούτων ὅσα τινὶ εἴρηται σοφιστῇ ἢ ἰητρῷ ἢ γέγραπται περὶ φύσιος, ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τέχνῃ προσήκειν ἢ τῇ γραφικῇ* I p. 620) conscribere omnino non potuisse constat.

Redit iam unde profecta est disputatio nostra, ad libros *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* scilicet et *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς*. sophistae in eis perstricti quomodo de medicina declamauissent illustrabamus *περὶ φυσῶν* orationis exemplo: ipsi quae profecerint aduersarii paucis adumbrabimus. a Pythagoreorum namque harmonia proficiscebantur, non leuiter (sicut Protagoram Prodicumque fecisse ueri simile), sed strenue de sanitate tuenda restituendaque quaerentes. supra audiuimus Alcmaeonem facultatis unius dominationem morbi effectricem iudicantem. similiter sine iusta quattuor humorum temperatione sanitatem constare non posse defendit auctor *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* (*ὑγιαίνει μὲν οὖν μάλιστα, ὁκόταν μετρίως ἔχῃ ταῦτα τῆς πρὸς ἄλληλα κρήσιος καὶ δυνάμιος καὶ τοῦ πλήθεος* VI 40) idemque qualitatem superantem et corpori nocere docet (p. 36) et cohibere generationem (*εἰ μὴ τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ καὶ τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ μετρίως πρὸς ἄλληλα ἕξει καὶ ἴσως . . . ἡ γένεσις οὐκ ἂν γένοιτο*). artius Alcmaeoni sese adiunxit auctor *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς*, non quattuor humores sumens corporis elementa, sed *τὰς τυχούσας* si non *ἐναντιότητας* (sicut Crotoniatam docuisse Aristoteles narrat Metaph. I 5 p. 986 a 43), certe *δυνάμιας*. cuius doctrina tota fundamentum habet

1) Neque Foësium neque Littreum recte cepisse locum ualde mirum est. uertit ille: 'equidem quae ab his de natura uel dicta uel scripta sunt, non tam ad artem medicam, quam ad pictoriam spectare existimo' (p. 16, 40 ed. 1657), hic: '. . appartient moins à l'art de la médicine qu'à l'art du dessin'!

illud *μέτρον ἄριστον*. cibos robustos et intemperatos mixtione accommodatos esse narrat naturae humanae (*ἥψησάν τε καὶ ὤπτησαν καὶ ἔμιξαν καὶ ἐκέρασαν τὰ ἰσχυρά τε καὶ ἄκρητα τοῖσιν ἀσθενεστέροισι* p. 578), qua ratione et medicos antiquos esse usos in medicamentorum et compositione et usu *διαφυλάσσοντας ὡς μετρίως ἔχῃ* (p. 582). nisi enim natura superentur nutrimenta, diuersarum facultatum temperationem turbari, amari salsi, dulcis acidi, acerbi insipidi ceterarum (p. 602), quarum manifesta si quae fiat, doloris existere causam (p. 606 sq.). non huius dici est, quo modo huic de facultatum natura et ui doctrinae, Alcmaeonis fundamento superstructae, coctionem (*πέψις τῶν χυμῶν*) iunxerit auctor, exponere, qua iustam natura temperationem restituat (cf. I p. 446 sqq.): leuiter tantum attingo, pulcrum *empiricae* quaerendi rationis exemplum praebere eum, non philosophorum placita in medicinam, sed medicorum obseruata in philosophiam transferenda esse statuentem (*νομίζω δὲ περὶ φύσιος γνῶναί τι σαφὲς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν εἶναι ἢ ἐξ ἰητρικῆς. τοῦτο δὲ οἷόν τε καταμαθεῖν, ὅταν αὐτήν τις τὴν ἰητρικην ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ* p. 620 sq.). hoc addo, inesse in collectione scriptiunculam, notabilem sane, qua uerae scientiae auctoritas contra sophistarum uana conamina fortiter defendatur, *περὶ εὐσχημοσύνης* inscriptam (IX p. 222 sqq. L). duae huius libelli sunt particulae. atque altera quidem (cap. VII—XVII), qua de medici habitu externo praecipitur, de apparatu medicinali, de uisendis aegrotis curandisque, nihil ad nos: uersamur in priore. agitur de sapientia in uniuersum. cuius genera plurima non utile quidquam efficiunt (*αἱ μηδὲν ἐς χρέος τῶν πρὸς ἃ διαλέγονται* p. 226). neque tamen damnanda, si modo ratione ac uia procedunt (*ἦσι μέθοδός τις ἐοῦσα τεχνικὴ ἐργάζεται*) remotaque sunt a quaestu turpi. expellendi uero e ciuitatibus sapientiam profitentes, qui sumptuose ornati (*ὑπερηφανέως κεκοσμημένοι* p. 228) in urbibus uersantur hominesque decipiunt. transitur tertio capite ad sapientiam ueram ample illustrandam. qua in disputatione perdifficili sapientiae ducem naturam esse docemur (*ἡγεμονικώτατον μὲν οὖν τούτων ἁπάντων . . ἡ φύσις* p. 230), naturae enim inuestigationem sapientiae munus esse (*ἐς τὸ ἀρχὴν λαβεῖν ἡ φύσις κατερρύη καὶ κέχυται, ἡ δὲ σοφίη ἐς τὸ εἰδῆσαι τὰ ἀπ' αὐτῆς τῆς φύσιος ποιεύμενα* p. 230): quam si quis nouerit, ratione utendum (*καλὸν ἐκ τοῦ διδαχθέντος ἔργου λόγος*). hanc sane sapientiam introducendam esse in medicinam, medicus enim sapientiae amicus deo aequalis (*ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος* p. 232).

Epimetrum (cf. p. 7, 1).

Codex Marcianus 269 in folio membranaceus foliorum 461 (261 errore Bessarionis catalogus) saeculi XI, (cuius foll. 11ʳ 33ʳ arte phototypa expressa extant in Wattenbachii et Velseni Exemplis (tabb. XL XLI); cf. fol. 12ʳ in Wattenbachii 'Schrifttafeln' tab. XXXV), olim excussus est a Friderico Reinholdo Dietzio Regiomontano, totius fere Europae codicum medicinalium graecorum peruestigatore. de qua re certior factus hac notula in codicis calce quae legitur: 'contuli cum edit. Foesiana totum hunc codicem Fr. Dietz Dr. med. Prussus 1828' precibus adii uniuersitatis Albertinae bibliothecam, in qua asseruari Dietzii schedas, praematura morte defuncti a. 1836, compereram. nec mora, eximia liberalitate tota mihi transmittitur collationum excerptorum apographorum farrago, Berolini Monaci Venetiis Romae Mediolani Matriti Lutetiae Londini aliis locis permultis ferrea hercle assiduitate congesta. sed dum perlustro amplissimas copias Dietzianas, breuiusculam tantum Marciani descriptionem inuenio, de collatione spes irrita, quam (ne quis uana expetat) non ea hodie quae desideratur diligentia fuisse confectam inde conicio, quod Nouembri demum anni duodetricesimi mense Dietzius Venetias uidetur aduenisse, ita ut relicua anni particula religiosam 'totius codicis' collationem absoluere uix potuerit.

Quae in codice legerentur ut sciremus, primus effecit Ermerinsius Cobeti usus excerptis. tractauit eum post Cobetum Darembergius, qui et in libris *περὶ ὄψιος* et *περὶ εὐσχημοσύνης* quae praeberet cum Littreo communicauit (IX p. 130 sq. 224 L) et codicem accurate descripsit X p. LXIII sq. L. quo loco eiusdem eum esse familiae atque Parisinum 2253 asserit (cf. Oeuvres choisies d'Hippocrate p. IX² C. CII). atque cuius libri Hippocratici collatione nitatur Darembergius, confidenter cum pronunciet: 'le manuscrit de Saint-Marc à Venise, qui appartient évidemment, ainsi que je l'ai constaté, à la famille que jusqu'ici notre précieux manuscrit 2253 représentait à lui tout seul' nescio, altera enim pars operis 'Notices et extraits des manuscrits' lucem non uidit: falsum certe eius iudicium in libro *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς*, cuius capitum priorum sex scripturam, publici iuris nondum factam, dum per itineris Italici otium Venetiis commoror, nuper ipse enotaui. facit enim Marcianus cum Parisinis 2142 H 2144 F 2141 G 2255 E 2140 I

2143 J 2145 K itemque cum Vossiano Ermerinsii locis longe plurimis ita quidem ut in uariis lectionibus plus ducentis discrepet ab eis quinquagiens semel. quarum lectionum uiginti duae cum Parisini 2253 A congruunt, solus tuetur Marcianus has:

I p. 570 L	II p. 19 E
* ἄξιοι *M*	ἄξιον *Aς*
p. 20 E	
τύχῃ ἂν πάντα *M*	τύχῃ δ' ἂν πάντα *A* καὶ τύχῃ ἂν πάντα ς
* διωκεῖτο *M*	διοικέετο *A* διοικεῖτο ς
p. 572 L	
* δημιοεργοὶ *M*	δημιουργοὶ *Aς*
δεῖλα ἂν εἴη *M*	δῆλα ἂν εἴη *Aς*
* ἐπιχειρέει ζητέειν *M*	ἐπιχηρεῖ ζητεῖν *A* ἐπιχειρέειν ζητέει ς (ζητέοι K)
p. 21 E	
* τοῖσι δημότησιν *M*	τοῖσι δημότησι *A* τοῖσιν δημότῃσιν ς
p. 574 L	
* ὥς τε *M*	ὡς *A* ὥστε ς
ῥάιδιον *M*	ῥηΐδιον *A* ῥαΐδιον ς
p. 576 L	
χρέωνται *M*	χρέονται *Aς*
ἐκ γῆς *M*	ἐκ τῆς γῆς *Aς*
δὲ καὶ *M*	γὰρ καὶ *A* τε καὶ ς (om. V)
p. 22 E	
πάντα post πτίσαντες *M*	om. πάντα *A* πάντα post καταλέσαντες ς (ante κατ. V)
καταλέσαντες τε *M*	καταλέσαν τεστέ *A* καταλέσαντες ς
p. 578 L	p. 23 E
οὖν ὄνομα δικαιότερον ἄν τις προσῆκον *M*	τίς ὄνομα δικαιότερον ἢ προσῆκον *A* οὖν οὔνομα δικαιότερον ἄν τις προσῆκον ς ὄνομα δ. ἄν τ. π. V

p. 580 L	
ἀσκησίαν M^1 * ἀσκήσιων M^2	ἀσκήσεων *A* ἀκτησίων IEJKH ἀνακτήσιων GFV
p. 24 E	
τοῖσι ὑγιαίνουσι *M*	τοῖσιν ὑγιαίνουσιν *Aς*
χρῶνται *M*	χρέονται *Aς* (χρώονται IJ)
διαιτέωνται *M*	διαιτῶνται *A* διαιτέονται ς
ἐπὶ *M*	ἐπεὶ *Aς*
p. 582 L	
μὴ δι' ὀλίγων *M*	μὴ ὀλίγων *A* μηδ' ὀλίγων ς (ὁ λέγων G)
p. 25 E	
* κρίσει *M* (itacismo)	κράσει *Aς*
* ῥυφημάτων *M*	ῥοφημάτων *Aς*
ἔχει suprascripto η *M*	ἔχοι *A* ἔχῃ ς
ὅτι οἷσι *M*	ὅτι τοῖσι *A* οἷσι ς
ἐπιφανέστερον μᾶλλον κακωθεῖεν *M*	om. μᾶλλον *Aς*
* ῥυφέοντες *M*	ῥοφέοντες *Aς*
p. 584 L	
* πολὺ ἂν μᾶλλον *M*	πολὺ πλείω ἂν μᾶλλον *A* ἔτι ἂν μᾶλλον ς
* καὶ τὸν κάμνοντα *M*	καὶ κάμνοντα *A* καὶ τὸν νοσέοντα ς

Emendatur textus lectionibus asterisco insignitis.

Tribus igitur e fontibus repetenda libri περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς recensio. praestantissimus et antiquissimus Parisinus 2253 A saeculi X. in quo quamquam ceteris codicibus minus integra seruata est dialectus, textus tamen legitur et plenior et correctior. secundum locum Marcianus tenet, quocum cognatissimi et Parisini ς et Vossianus, saeculis tribus recentiores, neque uero a Marciano archetypo deducti, sed soli interdum antiquam memoriam exhibentes.

CONSPECTVS.

Narratur de Littrei Darembergii Ermerinsii curis Hippocraticis p. 6 sq. de collectionis Hippocrateae condicione et historia p. 7 sqq. de quibus accuratiora ut statuantur, singulorum placitorum et auctores et testes respiciendi p. 11.

Artissimus medicinae antiquae cum philosophia conexus p. 11 sq. de libri *περὶ διαίτης α'* Heracliteis studia Bernaysii Zelleri Schusteri Teichmuelleri Weygoldtii p. 12 sqq. Patinus de libello *περὶ τροφῆς* p. 14.

I. De medicis philosophiae nimium addictis deque sophistis de medicina disputantibus quae tradantur in libris *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* p. 14 sq., *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* p. 15 sq. profecti a physicis temporis praecedentis p. 16. terram num quis statuisset principium, quaerebant Artemidorus Capito, Sabinus, Galenus p. 16 sqq. studium ad unicum principium res redigendi diu ualuit in medicina p. 19 sq.

Cuius rei testimonium liber *περὶ φυσῶν* p. 21. insunt Anaximeneae et Diogeneae doctrinae uestigia p. 21 sq. ab Apolloniata qua in re dissentiat auctor, congruat cum Critia p. 22 sq. scribendi genus *sophistici* similis p. 23: partitio perspicua p. 23 sq. sophistas eam in deliciis habuisse Helenae Gorgianae exemplo ostenditur p. 24 sq. poeticus dicendi color p. 25 sq. figurae Gorgianae p. 26 sq.

II. Praecepta dantur de disputationibus medicis *περὶ νούσων α'* cap. 1—10 p. 27 sq. talibus uti quomodo soliti sint sophistae, elucet e declamatiuncula *περὶ τέχνης* p. 28.

Refutatur Ermerinsii sententia, cum *Lege* itemque cum libro *de uetere Medicina* scriptionem conglutinantis p. 28 sqq.: de *librorum ordine* in codd. mss. tradito p. 28 sqq.: duplici ordine traditur corpus Hippocrateum, Parisinorum 2255 et 2254, Vaticani 276; in altero tria haec scripta non se excipiunt, cui ordini cum Suida fortasse quid commune p. 30 sqq. de *scribendi genere* p. 32 sqq.: de dialecto ibid.: attigerunt eam commentatores et lexicographi antiqui, Erotianus Galenus; pridem deprauata p. 33 sqq.

uoces Iadi propriae passim in *νόμῳ*, nulla fere in libro *περὶ τέχνης* p. 36 sq. concinunt libri duo priores in uerborum compositione sophistica, a qua abhorret *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* p. 37 sqq. de *argumentis* p. 39 sqq.: *νόμος* scriptiuncula perfecta. Protagoream doctrinam defendens, *περὶ τέχνης* tuetur artis *οὐσίην* contra fortunam p. 39 sqq. non necessariam esse coniunctionem librorum *περὶ τέχνης* et *περὶ ἀρχ. ἰητρ.* locis quibusdam tractandis demonstratur qui cognati uideantur p. 43 sqq., absonam esse euincitur p. 46 sqq.: procedit *sophista* dialectica ratione libri Melissei memor p. 46 sqq. de nominum natura agit Platonicum uocis *εἶδος* usum nouisse sese prodens p. 49 sqq. de fortunae auctoritate disserit similiter atque auctor *περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον* p. 52 sqq. *medicus* aduersarios impugnat fundamento usus antiquorum philosophorum doctrinis, quas sophistas potissimum in suum usum conuertisse supra expositum p. 54 sqq.

Auctores *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* et *περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς* a Pythagoreorum harmonia profecti p. 57 sq. empiricam rationem et hic aperte profitetur et auctor *περὶ εὐσχημοσύνης*, acerbe nituperans is quidem falsae sapientiae sectatores p. 58.

Epimetrum: de codice Marciano p. 59 sqq.

VITA

Natus sum Carolus Theodorus Hugo Ioannes Ilberg anno h. s. sexagensimo mense Iulio Magdeburgi patre Hugone, gymnasii quod a Scae Virginis monasterio nomen traxit praeceptore, matre Clara e gente Weisswangeana. fidem profiteor euangelicam. cum parentibus Vimariam et anno post Cygneam perueni, ubi litterarum rudimentis imbutus in gymnasium receptus sum. cuius per annum postquam discipulus fui, patre Misniam uocato in scholae Afranae disciplinam saluberrimam traditus sum anno septuagensimo tertio. sed iam anno proximo linquenda erant almae Afrae moenia, cum parentes Dresdam transmigrarent Neostadensem. ubi gymnasii regii per lustrum ciuis et patris optimi institutione illustrissima et Ricardi Richteri, uiri carissimi, nunc Lipsiensis, ingenio et grauitate ad litterarum antiquarum studium excitabar. uere anni undeoctogensimi Lipsiam me contuli studiis philologicis et philosophicis ut operam darem. lectionum fructus cum percepissem Curtii Heinzei Langei Lipsii de Noordeni Ouerbeckii Ribbeckii Zarnckei factumque esset, ut et seminarii regii philologici exercitationibus per annum interessem sodalis ordinarius et societatis philologae Ribbeckianae, auctumno anni octogensimi almam uniuersitatem Rhenanam petii, studiorum philologorum sedem auspicatissimam. per annum ad Rheni ripas commorantem docebant Bernaysius Luebbertus scholis philologicis, Kekuleus archaeologicis, Meyer Schaarschmidtius philosophicis, Trautmannus anglicis, Menzelius in societate palaeographica: sed quod uere feliciter degebam duo illa semenstria, Francisco Buechelero debeo et Hermanno Vsenero. quorum ad pedes considere quod mihi licuit, huius ubertate, illius acumine miro modo captus, inter faustissima numero uitae dona. ut exercitationum et criticarum et epigraphicarum particeps essem, Buecheler concessit beniuolentissime.

Lipsiam postquam redii, iterum seminarii studiis uacabam societatumque Curtii grammaticae Langei antiquariae Ribbeckii historico-litterariae eram sodalis. uere appropinquante anni octogensimi secundi amicorum duorum iucundissimorum et hortatu impulsus et eximia adiutus liberalitate Italiam adii, cuius solum dis sacrum per duos menses peragrauimus. Lipsiae audiebam Lipsium Ribbeckium Springerum Voigtium Zarnckeum nec non seminarii theotisci socius eram extraordinarius.

Quorum uirorum, optime de me meritorum omnifariam, pie grateque semper recordabitur animus praeter patrem cuius erga me amorem satis praedicare nequeo plus uno nomine deuinctus cum Maximiliani Heinzei comitati et doctrinae, tum Ottoni Ribbeckio, praeceptori dilectissimo, cuius disciplina et fauore si quando digna praestare potero — *βεβιώσεταί μοι.*